



JND EX LOCORVM  
ex V.T.


- Nr. 20) Deut. XXVIII. 4.  
22) Jes. 1X. 6.  
9) — LXI. 1.2.  
14) Hof. XI. 1.  
29.30.31) Zache. VI. 12-13.  
24) Melchais. III. 17.  
18) Ps. LXXXII. 17.

ex N.T.

- Nr. 19) Matth. II. 15.  
26) — — 23.  
9) — XXVIII. 9.10.  
25) — XXVIII. 19.  
8) Luc. IV. 16-21.  
10) Co. VII. 25.  
19) — 1.37-39.  
5) — — 32.  
12) — — VIII. 6-8.  
26) Acti. IX. 15.  
26) — XII. 19-22.  
11) Rom. VII. 12-24.  
13) — I. 1. tot:  
26) 1 Cor. XV. 29.  
25) 2 Cor. IV. 4.  
52) — — XII. 4.  
23) Coli. I. 15.  
19) Phil. II. 1.2.  
25) Ebr. I. 3.  
3) 1 Petri. I. 6.6.  
7) 2 Petri. I. 16-24.  
6) — — II. 9-13.  
4) 1 Co. III. 9.  
6) 1 Cor. I. 60.  
10) Apoc. X - XXI.

INDEX AVCTOVRVM

1. Nonne de donis sp. s. extraordinariis  
 2. Idem de natura et affectionibus donorum sp. s. extraordinariis  
 3. Enyd. paraphrasis epistola Petri 1.  
 4. Riesling de aracide et sua reparatione ad 1Co. 11. 9.  
 5. Hoffmann observationes in 2 Petr. II. 9—13. & Iud. 8—10.  
 6. Enyd. in 2. Petr. I. 16—21.  
 7. Enyd. in 2. Cor. IV. 16—21. & Ep. LXII. 1. 2.  
 8. Enyd. in Math. XXVII. 9. 10.  
 9. Enyd. in Math. XXVI. 1. 2.  
 10. Oporin. in Apoc. X — XXI. dicit. I.  
 11. Schurze ad Rom. VII. 12 — 25.  
 12. Siebring de preindicio iudeorum non potest ex Nazareti prophetam prodire ad 6 VIII. 52.  
 13. Idem in Rom. IX.  
 14. Idem. in Act. XI. 1. et alio ab uno Math. II. 15.  
 15. Idem. in Phil. II. 12. videtur a hantologio.  
 16. Idem de ironia Iacob.  
 17. Idem de Mose in Proph. Egyptie personae.  
 18. Idem de nomine Iustitia ante totum fuit ad 13. LXXXII. 17.  
 19. Idem de iustitia iudiciorum quid respicit debeat undeman Regnus ventus ad 6. VIII. 29.  
 20. Enyd. videtur in 62<sup>o</sup> y 2<sup>o</sup> S. et. XXVII. 4.  
 21. Idem de iustitia causa iustitiarum in bello aduersitate Cananensis.  
 22. Cotta de Xpo in faute patre elevata est ad Sep. IX. 6  
 23. Gruner de I. C. spacio. illi in scriptis ad 2 Cor. IV. 4. Col. I. 15. Ebr. I. 3. Actos 5. 7.  
 D. J. S. Semper progr. de liberati doctoris Thiol. prouincia.  
 24. Ernest de Lunde & Josephi in morte Herodij consenserunt ad Act. XII. 19 — 23. Auctor  
 progr. Hebenstetii de ecclesia de jure legum peritie ad dist. 32. T. Malati. III. 17.  
 25. Knappa de paedobaptismo ex Math. XXVIII. 19.  
 \* 5) Noefel ad 6. VII. 37 — 39.  
 26. Hase iustitiam quid am. deigna ad Math. II. 23. 6. VIII. 6. 8. Act. I. 18. 15. 16. Cor. XV. 29.  
 27. Riesling videtur apostolorum a suspicione erroris le mud. epiph.  
 28. Reut. in ei valerius p. T. probat potest universali iudeorum conuersatio.  
 29. Idem in Zech. VI. 12 — 13. pars 1.  
 30. Enyd. dicit. P. Cor. III.  
 31. Engder dicit. Pars. III.  
 32. Gengeling ad 2 Cor. XII. 4. Minus admissitudem progr. Hebenstetii ad 11. 24.



*Disputatio Theologica*  
de  
**Donis Spiritus Sancti  
Extraordinariis**

sigillatim in  
Evangelistis & aliis Ministris N. T.  
Jll. Lycei Cives ad pium S. Coenæ usum invitans  
quam  
Præside

*Rectore Magnifico*

**NICOLAO NONNEN,**  
S. Thœol. D. Ejusd. ac Philos. Practicæ Prof. P. & Cœtus ad B. Virginis Pastore Primario,

*ad Diem Jovis 23 Novemboris A. MDCCLII.*  
defendet

**JUSTUS BRUMMER,**

Bremensis S. Th. C.  
h. l. q. f.

---

B R E M A E ,

TYPIS VIDUÆ E. HERM. CHRIST. JANI, QVONDAM ILLVSTRES  
GYMNASII TYPOGRAPHI.



Gymnasium  
et  
Quedlinburg

ILLUSTRIBUS  
LIBERÆ REIPUBLICÆ BREMENSIS  
**PRO CERIBUS,**  
PERQUAM MAGNIFICIS,  
CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS,  
VIRIS

Dn. HENRICO LAMPE,  
JCTO, CONSULI SENIORI, ECCLESiarum agri BRE-  
MENIS VISITATORI NEC NON BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ  
INSPECTORI SUPREMO.

Dn. CHRIST. SCHOENE,  
JCTO, CONSULI, XENODOCHII D. REMBERTI  
PROVISORI, ATQUE INSPECTORI AD D. MICHAELIS  
SUPREMO.

Dn. VOLCHARDO MIN-  
DEMAN,

JCTO, CONSULI REIPUBLICÆ H. T. DUUMVIRO.

Dn. HENR. GERHARDO  
SCHUMACHER,

JCTO, JUDICI HÆREDITARIO IN BORGFELD, CON-  
SULI, CUM MAXIME URBIS CLAVUM DEXTERIME  
MODERANTI, ET ILLISTRIS SCHOLÆ, QUAM QUON-  
DAM INSIGNITER ORNABAT, NUNC CONSTITUEN-  
DÆ DUUMVIRO.

NEC NON  
V I R O  
PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO,  
CONSULTISSIMO,  
D O M I N O  
HIERONYMOKLUGKIST,  
J. U. D. AMPLISSIMI SENATUS MEMBRO, RE MILITA-  
RIS PRÆFECTO, UT ET SCHOLARCHÆ  
DIGNISSIMO,

MUSARUM STATORIBUS AT-  
QUE PATRONIS  
MUNIFICENTISSIMIS

OMNI HONORIS ET OBSEQUII CULTU AETERNUM  
PROSEQUENDIS, DEVENERANDIS.

Dr. HENR. GERHARDO  
SCHEINAGHER.  
QUA PAR EST OBSERVANTIA AN-  
MIQUE SUBMISSIONE SACRAS HAS  
PAGINAS FACIT  
DEFENDENS.



Disputatio Theologica  
de  
Donis Spiritus Sancti extraordinariis  
Sigillatim in  
Evangelistis atque aliis Ministris N. T.



§. I.

In Dissertatione praecedente, dona Spiritus  
Sancti extraordinaria, quibus Apostoli at-  
que Prophetæ Ecclesiæ N. T. ornati & ad  
sua munera gerenda apti fuerunt redditi,  
juxta recensum quem Paulus i Cor. XII, v. 8 - 11, item v.  
28. 29. 30. instituit, lustravimus. Operam dedimus, ut  
distincte explicaremus, quid  $\lambdaόγος σοφίας$ , quem ut primum  
donum enumerat atque propter ordinem & analogiam re-  
censionis repetitæ munerum ac donorum, Apostolis, primis  
Ecclesiæ Ministris attribuit, quid alterum  $\lambdaόγος γνώσεως$ , Pro-  
phe-

A

phe-

\* \* \*

phetis, secundo loco positis convenientis, denotet, & quo modo illa dona a se differant. Pergendum nunc est ad reliqua charismata, quo, postquam determinate indicaverimus cuiuslibet indolem atque convenientiam cum munere, quocum conjungitur, disquisitiones de natura atque affectionibus, tum ipsorum illorum Spiritus Sancti effectuum, tum operationum per quas producti sunt, ut & de discrepancia illarum a communibus æque ac salutiferis instituere queamus.

## §. II.

Sequitur tertio loco πίσις ἐν αὐτῷ πνεύματι, respondens muneri διδασκαλοῦ in ordine munerum v. 28. Qui hic doctores, & quidem expresso indicio tertii loci aut muneris audiunt, Ephes. IV, 11. appellantur Evangelistæ. De munera illorum ratione satis erudimur, tum per illa quæ de eis in actibus & epistolis Apostolorum prædicantur, tum per historiam personarum hac sparta fungentium, *Philippi*, *Timothei*, *Marci*, *Lucæ*, *Titi*, *Sylvani*, aliorumque. Constat quod vel fuerint Apostolorum in itineribus sodales & εὐεργεῖοι, vel certo cœtui alligati, sive perpetuo, sive ad tempus, siquidem in urbe aut regione aliqua porta Evangelio Iesu Christi pateret, atque messis largior ex infidelibus esset colligenda, quibus incubuit, rudimentis doctrinæ christianæ imbuere animos illorum, qui ad fidem in Jesum Christum vocabantur, aut absentibus Apostolis, cœterus colligere illisque doctores præficere Tit. I, 5. quin & alios instituere ut apti redderentur ad doctrinam propagandam 2 Tim. II, 2. Satis id ad liquidum perduxerunt, qui de Ministris N. T. extraordinariis, sigillatim de Evangelistis scripsit

BURMANNUS.

Materiæ, quas prædicando & instituendo tractaverunt, enumerantur Ebr. VI, 1. ubi nexus cum præcedentibus cap. V, 12. manifestum reddit, quid ad διδάσκων, quam Evan-

Evangelistæ tractabant, ad elementa prima verborum Dei quæ illi tradebant, ad lac quod instillabant, ad fundamenta quæ ponebant reputandum sī: illa enim omnia nomina ejusdem rei, Apostolus cumulat. Refert eo 1) τὸν τὸν ἀγ-  
χῆς τὴς Χριστοῦ λόγον, id est historiam Evangelicam usque ad consummationem mediatoris, in qua a Deo dominus & Christus factus est Act. II, 36. 2) resipäsentiam ab operibus mortuus, quibus in Judaismo & Paganismo fuerant dediti. 3) Fidem in Deum, qua casfi fuerant, vel per ignorantiam vel per idolorum cultum. 4) Doctrinam de baptismis illorum que significatu, quum per lavacrum ad communionem Ecclesiæ ducerentur vocati pagani. 5) Doctrinam (repetenda enim est vox) de impositione manuum, qua facta, tincti, ut postea videbimus, sœpe donorum Spiritus Sancti reddebantur participes. 6) Doctrinam de resurrectione mortuorum, utpote quæ vel ignorata vel obfuscata erat, atque cum suis adjunctis in primis αρθροῖα corporum resurgentium in lucem producta est per Evangelium 2 Tim. I, 7) Doctrinam de iudicio aeterno. Quanquam specimina nulla predicationis Evangelistarum in Sacris legantur, deprehendimus tamen Apostolos, dum vices illorum subibant, alloquendo homines, qui de doctrina Christi nihil audiverant, partes alias harum doctrinarum inculcasse. Sic Paulus instituebat Athenis Act. XVII, arguendo idolatriam que inter opera mortua erat principalis vs. 23. urgendo resipäsentiam, vs. 27. 30 atque annuntiando cum fide in Deum vs. 26. sī. resurrectionem mortuorum, iudicium extremum ac personam judicis vs. 31. 32. Viderur etiam eodem modo, accedens ad Corinthios, egisse, dum scribit; se posuisse fundatum 1 Cor. III, 10. atque iudicasse, se nihil inter illos ab initio scire debuisse, praeter Jesum Christum illumque crucifixum, 1 Cor. II, 2. Neque id adeo rarum est, Apostolos in certis rerum circumstantiis, etiam si comites Evangelistas sibi haberent junctos, illorum gessisse personas. Sane Paulus atque Barnabas, apostolica dignitate atque dono jam ornati Act. XIII, 2. 3. postmodum ab Apostolis, in Synodo

A 2

Hie-

Hierosolymis congregatis, inter geftes missi, negotia διδάσκαλων simul obſervarunt ut Act. XV, 35. dicitur, διάτρι-  
βον ἐν Αγιοχεῖα, διδάσκοντες ἡ εὐαγγελίζουσα μετὰ ἡ ἔτερων τὸν  
λόγου κυρίου. Ex dicto modo adducto, anfa oritur disquiren-  
di, quae diversitas intercesserit inter διδάσκον & εὐαγγελίζε-  
σθαι. Elucet illa, si ad quasdam, fatis diſerte commemora-  
tas utriusque qualitates adtendamus. In materiis tractatis  
illam non quero cum quibusdam, nimis argute hic con-  
jeſtantibus, sed in forma & methodo, dum διδάσκον de pri-  
vata rūdium institutione in plerisque ubi occurrat dictis,  
εὐαγγελίζεσθαι autem de publica annuntiatione adhibetur.  
Parallelus est locus Act. V, 42. non cessarunt quotidie in  
templo & per domos διδάσκοντες ἡ εὐαγγελίζουσα Ιησὺν τὸν  
Χριστὸν, ubi διδάσκον ad proxime antecedens κατ' οἶκον, εὐαγγε-  
λίζειν vero, licet ultimo loco possum, ad remotius sub-  
jectum ἐν 'legē' referendum est, per figuram sacrī scripto-  
ribus N. T. valde familiarem ἐπιστολον, quam insigni exemplorū  
copia illustravit, HAMMONDUS not. ad Matth.  
VII, 6. Quanquam vero de Apostolorum publica prædi-  
catione, in præcedentibus capitib[us] vox διδάσκον adhucbeatur  
vs. 21, 25, 28. id tamen non obſtat, quoniam generalior &  
magis nota vox adhiberi potuit, cuius significatus restrin-  
gitur, si altera addatur. Sane κήρυγμα de doctrina ab Apo-  
stolis prolatā, ut & κηρύττειν τὸ εὐαγγέλιον atque παταγγελεῖν  
Marc. XIII, 10. XIV, 9. XVI, 15. 1 Cor. IX, 14. publicam  
fidei professionem, vi vocum denotare, opus quoque Evan-  
gelistæ, ut describitur 2 Tim. IV, 2. collato 5. eandem in-  
dicare, nemo ambigere potest. Hinc Paulus & Barnabas  
docuisse ac evangelium prædicasse Act. XV, 35. sicut Pe-  
trus & Johannes Act. V, 42. dicuntur, respectu publicæ  
æque ac privatæ institutionis. Et hinc illustrō Paulum de  
ſe profitentem 1 Tim. II, 7. & 2 Tim. I, 11. quod consti-  
tutus fit μέντος, καὶ αὐτόσαλος, καὶ διδάσκαλος Ἰησοῦ, scilicet  
Apostolus respectu summi muneris, in quo λόγον σοφias su-  
blimiores doctrinas traçtabat, præco autem æque docto, respectu dogmatum faciliorum, quæ personam Evangelistæ,  
fustr.

sustinens, sive publice sive privatum annuntiavit. Hæc illum in finem attulimus ut pateret quanto sublimiores doctrinæ fuerint partes, quas Apostoli ἐν λόγῳ εσφίλας, & Prophetæ *in propheta tradiderunt*, præ illis, quæ tractandæ incumbeant Evangelistis διδαχήν & διδασκαλίαν exercentibus, sive publico præconio, sive privata ruditum & νηπίων institutione, illorum nempe, qui erroribus Judæorum aut Paganorum immerū erant, atque de Jesu Christo & primis veritatibus nondum fando audiverant.

### §. III.

Evangelistarum atque Doctorum donum πίστις, fides aut ut ex nostra sententia vox propius reddenda est, summa animi fiducia, lustrato quantum necesse erat munere, nuna clucidandum est. PROP. 1) Πίστις notat *Animum fortē*, sp̄eruentem omnia, quibus in annuntiatione Evangelii præcones objiciebant discrimina, nixum conscientia bonæ causæ, immota erga Christum fidelitate, atque fiducia certissima, fore, ut Deus obſtacula Evangelio a regno tenebrarum feruēt, per miracula sive per præcones, sive in bonum illorum producenda, effet anoliturus. Adſtruemus hæc per partes, sic tamen ut nexus harum distinctarum animi affectionum, per charisma productarum, tum inter ſe, tum cum ſuo principio, aſſenſu ſcilicet in doctrinam J. C. ſimul appareat.

1) Fidem, quæ Spiritus Sancti, certas personas exorans Charisma eft, non denotare illam *qua corde creditur ad iustitiam Rom. X, 10.* quæ conditio atque medium eft ad ſalutem & omnibus salvandis communis, ſatis perſpetuum eft omnibus eruditis Interpretibus, quos magno agmine, ſi id necesse eſſet, ex omnibus ſectis, quæ Christum profitentur, producere poſſemus: Nemini quoque difficile eft, ſpeciale donum diſcernere a generali conditione ad ſalutem. Sed diſferunt circa affectionem animi hoc chariſmate exornatorum, paucifimis de heroico animo in per-



culis devincendis, plurimis de illa fiducia, quæ fides audit miraculorum, cogitantibus, nemine quantum novi de fidelitate exploratissima & bona conscientia nixa. Nos, quæ hoc faciunt & quomodo connexa sint, explicabimus.

2) Animum fortē, qui nullis discriminibus, quibus expositus est, frangitur, vocem in significationis *πιστεως* designare, tum usus tum exempla docent. Uſus singularis occurrit i Joh. V, 4. *Et illa est victoria, quæ devicit mundum, FIDES NOSTRA.* Victoria mundi, non solum consistit in abnegatione illecebrarum, quibus seducit i Joh. II, 15. sed & in contemptu minarum & afflictionum, quibus terret Joh. XVI, 33. Hanc victoriam jam peperat fides illa, conversis ad Christum, in Iohannis ævo, tot infidelibus. Non sola fiducia, non fidelis & a nullis illecebris in transversum acta diligentia, tanquam causæ hujus effectus spectari possunt; fortitudo animi, nullis territa minis aut deterrita periculis, principale fuit instrumentum, in pugna cum mundo, quam victoria sequuta est. Imperterriti animi, voce *πιστεως* indicati, alia deprehendimus vestigia. Stephanus Act. VI, 5. & 8. *πληροῦ πνέματος τῇ πιστεῷ* dicitur, hujusque rei specimina edidit, in libera confessione coram Synedrio Act. VII, nil teritus, quantas spirarent minus Judeorum primores, quantoque timore percelli potuisset animus, cui in tam splendido consensu, de veritatibus exosis erat loquendum, & ea propter necessitas imposita, in discrimen vitæ incurrendi. *Fides illa in qua standum erat* i Cor. XVI, 13. ob adjuncta e palestra vel re militari perita, *γεννηστέ*, *ἀδρίστας κρατήσθι*, fortitudinem animi, pericula despiciens designat. Eadem est de qua i Pet. V, 8. 9. legitur & in qua *resistendum erat calumniatoribus, circumventibus instar leonum rugientum.* Plus illa dicit, quam fidem miraculorum, aut fiduciam Deum illa ad liberationem confessorum operaturum, quoniam promissiones non darae erant omnibus, aut istiusmodi liberationes ex omnibus periculis ab omnibus expectande. Succumbendum erat, dum Deus decre-

decreverat finem vitæ afferre per martyria, in quibus fortis atque cruciatus spernens animus, formale erat πίστης præstandæ. Sic Jacobus Hierosolymitanae Ecclesiæ Episcopus, interemptus est in ῥυγάξει illa, de qua EUSEBIUS Hist. Eccles. L. II. cap. 23. habet, ad cuius exitum e vita, in horratione Ebr. XIII, 7. *Mementote duxorum vestrorum, qui vobis verbum Dei loquuti sunt, quorum exitum e vita recordando attente, IMITEMINI FIDEM, respici, recentiores Interpretes observant.* Constantiæ atque fortis in martyrio animi, insigne exemplum preluxerat Jacobus cum sociis sublatis, quæ fides illorum audiunt. Hinc in persecutionibus gravioribus exigitur patientia cum fide, quæ plus quam fidelitatem designat, utpote quam patientia jam complectitur, ἡδὲ ἐξιν ή ὑπομονή & η πίστις τῶν ἀγίων five in eo casu, ibi memorato, locus est, has virtutes exercendi Apoc. XIII, 10. Martyrum qualitas præcipua designatur, quod sint πίστος ἄχρι θανάτου Apoc. II, 11. unde ibid. vs. 13. Antipas interfactus ὁ μάρτυς ο πίστος dicitur, non solum quod patienter mala pertulerat, sed quod animo imperterritu, in confessione perfiterat, ut nexus docet. Illa enim est affectio animi πίστεi ista prædicta, ut non obmutescat, sed in confitendo, quæ etiam imminicant pericula, pergar, quam Paulus 2 Cor. IV, 13. pingit, *quoniam eundem SPIRITUM FIDEI habemus, juxta quod scriptum est, credidi eapropter loquutus sum, & nos credimus atque eapropter loquimur.* Rariorem vocis significatum animi heroici, quem indagamus atque illustramus, istud dictum clarissime docet, atque πνεῦμα πίστης Apostolos in continuis mortis imminentis periculis vs. 10. 11. ad confitendum doctrinam Jesu, animum addens, describendo, πίστιν εἰς πίνακα declarat. Quomodo autem Evangelistæ hoc Spiritu fuerint animati deinceps ostendemus.

3) Iungimus fidem miraculorum, five certam atque premisionibus Dei nixam persuasionem, fore, ut si Deo ita visum fuerit, obstacula Evangelio posita, amolienda

sunt



sint mediantibus miraculis, sive per legatos Dei patrandis,  
 sive in illorum beneficium sistendis. De hoc significatu vo-  
 cis eo minus ambigendum est, quoniam capite sequenti  
 1 Cor. XIII, 2. ubi inutilitas charismatum, quæ Corinthios  
 in admirationem rapiebant, si ab amore essent destituta,  
 evincitur, dicitur, *si haberem omnem fidem ut & montes*  
*transponerem.* Nec dubium est verba sequentia vs. 3. *κι*  
*έστι φανετος πάντα τὰ ιωδεχόντα μη, η̄ εἰν παραδέ το σῶμα μη*  
*ἴναι καυθήσομαι,* specimina, quibus se prodebat animus for-  
 tis, vel modo illustrata fides, in annuntiatione Evangelii,  
 complecti. Crebro cerra de miraculis persuasio, fidei no-  
 mine venir Matth. XVII, 20. XXI, 21. Luc. XVII, 5. & in  
 Actis cap. III, 16. uterque actus combinatur, tum in con-  
 fidente, miracula per ipsum, tanquam instrumentum fore  
 patranda, tum in fiducia pleno, illa ipsius causa & in ipsius  
 beneficium esse sistenda, posterior vero occurrit Act. XIV,  
 9. Interea rei, licet significatus vocis, de tali fiducia sit  
 evictus, non tamen existimo, fidem miraculorum, princi-  
 pale in dono Evangelistarum, ut a plerisque statuitur, con-  
 stituisse. Adfuit, non nego, sed ut donum minoris pon-  
 deris atque dignitatis, dum sequentia quædam dona cum  
 muneribus, hac fidei specie jam fuere ornata. Sanationes  
 enim atque *θεραπεία*, seu potentiae, in effectum non sunt de-  
 ductæ, absque fide tali. Ut vero in superioribus muneri-  
 bus constituti Apostoli & Prophetæ, cum suis, etiam dona  
 inferiorum possederunt, sic & idem de Evangelistis, tertium  
 occupantibus gradum, asserere quid vetat? Sane dona lin-  
 guarum eis debuerunt fuisse concredita, quando cum Apo-  
 stolis annuntiandi Evangelii causa versabantur, donum iti-  
 dem prophetæ, ut illud concipimus atque mox explica-  
 bimus de interpretatione vaticiniorum illorumque applica-  
 tione ad eventus, cum maxime ad historiam J. C. quam  
 enarrabant atque de adhortatione, quæ Timotheo ut in-  
 insignis portio munera Evangelistæ 2 Ep. IV, 2. coll. 5. com-  
 mendatur. Concipi quoque nequit, tales Evangelistas,  
 ac quidem Timotheus atque Titus erant, destitutos fuisse  
 donis,

❧ ❧ ❧

9

donis, quibus instructi erant, per illorum ministerium, sa-  
cro admoti muneri, inque illud per impositionem manuum  
inaugurati, Presbyteri atque Diaconi, *κυβερνητῶν* nempe &  
*αἱριτῶν*. Ratio autem ob quam, fidem miraculorum  
principale in illorum munere, non constituisse existimo, in  
eo latet, quod in epistolis ad utrumque & Timotheum &  
Titum, nihil de miraculis aut illorum fide legatur, quia  
quam de reliquis donis Evangelistam ornantibus, quae nunc  
illustramus, plurimae, deque illorum recto usu, occurrant  
cautelæ atque admonitiones.

4) Transeo ad tertium, quod in hoc dono observo,  
fidelitatem erga Christum nullis molestiis alterandam, atque  
nixam conscientia, de causæ quam agebant bonitate. *πίστις*  
de fidelitate, qua constanter adhaeremus, cui fidem per da-  
ta promissa obstrinximus, atque illa quæ incumbunt exse-  
quimur, in Sacris tam crebro, quam de aliis animi affectio-  
nibus adhibetur Matth. XXIII, 23. Luc. XVIII, 8. XXII, 32.  
Act. XIV, 21. 1 Tim. V, 8. & 12. Tit. II, 10. Ipsa Dei in  
implendis promissis fides seu constans voluntas *πίστις* audit  
Act. XVII, 31. Constantia illa alterum fulcrum est animi  
fortis, pericula despicientis, sine qua fatisceret, atque mo-  
lestiae, non superarentur, Dei, sed vanæ gloriæ aliorumve  
minus laudabilium finium causa; alterum autem bona con-  
scientia ex certa atque indubitate oriens persuasione, nos  
bonam agere causam, atque in illa promovenda versari re-  
ete ac decenter. Unde *πίστεων* talem animi ex bona con-  
scientia confidentiam notat 2 Tim. I, 12. *άδε αἱ πεπιστευκα*.  
Conscientia fluctuans circa causæ justitiam, animum expo-  
nit tentationibus ex discriminibus orientibus, atque sollicitat  
ut succumbat, fdemque datam non liberet, quum freta  
bonæ causæ fiducia, illum confortet & ad devorandas mo-  
lestias impellat. Animi constantia & fortitudo, absque  
conscientiae bonæ fiducia, mera est temeritas, quæ frangi  
potest, aut fanaticismus, a quo tamen abest vitæ probitas  
cum morum innocentia, quæ veros J. C. ministros distin-  
guebat in illo seculo a pseudo-prophetis.

B

5)

5) Videamus nunc, quomodo hoc dono, quod explicuimus, fuerint ornati Evangelista in primitiva Ecclesia. Apostolorum administri eisdem se objiciebant mortis periculis ac ipsi, quin aliquando citius, dum sua annuntiatione viam applanabant praedicationi Apostolorum. Confortes erant ærumnarum in itineribus exandiarum, quod de οὐεργάσιοις afferit Paulus in primis in posteriore ad Corinthios epistola, ubi enarrat afflictiones οὐεργάστι simul tangebant. Fortitudinem animi Timothei in confessione, coram multis testibus laudat 1 Ep. VI, 12. excitat simul ut intrepide in illo perget agone, phrasibus ex re agonistica atque militari tum ibi, tum alias petitis 2 Tim. II, 3-5. IV, 7. Hinc suum proponit exemplum in posteriore epistola, quum martyrium instaret atque tempus, in quo sanguis tanquam libamen erat profundendus 2 Tim. IV, 6. quo illo, atque exemplo summi Sospitatoris, qui coram Pontio Pilato confessionem bonam fuerat professus, Timotheum excitat ad imitationem in simili casu. Ut mortis, sic etiam infamiae ex judicio mundi, timor erat exundus. In impetuosa rallic & præpostera verecundia, ex vinculis atque poenis civilibus, quarum discrimen incurrebat, studium sufflamine poterant impendendum in libera annuntiatione Evangelii, & seducere ut propter Christum rubore suffunderentur Marc. VIII, 38. Hinc monet Paulus ut Timotheus se gerat, tanquam ἐγάριν ανεπαλοχυτον 2 Tim. II, 15. hortaturque, ne vel martyrii Jesu Christi, vel vinculorum suorum causa confunderetur 2 Tim. I, 8. proponendo illum in finem exemplum suummet vs. 12. ac Oneliphori vs. 16. Spiritum cuius portionem Timotheus erat indeptus describit, quod a δειλᾳ timore sit semotus 2 Tim. I, 7. Fidelitatem in primis urget, quam vox πίστεως innuit, persequendam in serie virtutum Evangelistam ornantium, enarrata 1 Ep. IV, 12. VI, 11. & 2 Ep. II, 22. suo proposito sub vitæ finem exemplo 2 Tim. IV, 7. τὴν πίστιν τετηγκα. Hinc titulus πίστις insignite Apostolorum datur fodalibus Tychico Ephes. VI, 21. Col. IV, 7. Epaphrae Col. I, 7. & Onesimo Col. IV, 9. Exigitur

gitur eodem modo fiducia bonæ conscientiæ respectu causæ quam, & modi quo, illam agebant. Universum Evangelista officium, ut illud indagando significatum doni fidei explicuimus, traditur 1 Tim. I, 18. 19. animus fortis phrasē *εργάτειν τὴν καλὴν σημεῖαν*, fidelitas *ἔχει πίστιν*, & bona conscientia, *ἡ ἀγάθη συνειδήσις*. Hinc ēπειστήμη studium ubique cuncte commendatur juxta summam legis, quae est *ἀγάθη  
ἐν καθαρῷ παρόντι, ηὔ συνειδήσις ἀγάθης, ηὔ πίστις ἀνωτερῆς.* Hac qualitate se distinguebat ab operariis subdolis, quorum conscientia cauterisata 2 Tim. IV, 2. in causa erat ut fidem fallerent, & seducti circa fidem naufragium facerent, Apostolum derelinquerent, timore periculorum fracti, & ad amorem mundi reverterentur, quorum *ἀπίστιον* sive deficien-  
tium exempla in Dema 2 Tim. IV, 10. Himenæo atque Phileto occurunt 2 Tim. II, 17.

6) Pellucet hinc, hujus doni ut & muneris diversitas ab antecedentibus & sequentibus. Longe subsidebat infra donum Apostolorum *λόγον εὐαγγελίας* ut illud explicuimus de cognitione nexus sapientis viarum Dei, deque facultate illum explicandi, methodo, quæ aperte erat ad ingenerandam animis fidem, & conciliandam inter moribus adeo diversas gentes, Judæos atque paganos pacem & communionem sanctorum: Subsidebat quoque infra donum Prophetarum *λόγον γνώσεως*, sive cognitionem veritatum sublimiorum & abstrusiorum seu mysteriorum atque arcanorum, quorum scientia ex Ecclesiæ erat, revelatorum per divinam inspirationem. Differebant hinc rudimenta, enumerata supra, quorum instillatio negotium erat Evangelistarum. Priora dona ex influxu Spiritus Sancti unice & solum derivabantur, sed in hoc concurrebat Apostolorum institutio, dum ab illis tradita, iterum communicanda erant cum plebe erudienda & ad fidem perducenda.

7) Sed quanquam institutio ab hominibus percepta,  
obtinuerit, eo tamen non obstante præterordinaria Spiritus San-

Sancti operatio in producenda hac sancta atque fida animi  
 fortitudine & fiducia, locum habere potuit. Institutio hu-  
 mana concernebat dogmata & prædicationis evangelicæ  
 materiam, quam Deus non suppeditabat revelando aut fug-  
 gerebat inspirando, sicut in dono Apostolorum & Prophetarum;  
 Spiritus autem operatio assensum in veritates, tan-  
 tumque quem lustravimus gradum producebat. Discutien-  
 da deinceps erunt, quæ Spiritus Sancti operationes extra-  
 ordinarias generatim attineant, unde adhucdum specialiora,  
 quæ hoc donum attinent proferre nequimus. Indicabimus  
 tamen principia quædam dein adstruenda, ex quibus con-  
 cipi potest. Spiritus Sanctus creator animarum est omni-  
 um, propter rationem Oeconomiaë S. Triados in regimine  
 mundi, auctor quoque omnium quibus exornantur aut  
 excellunt facultatum, hinc & conservator illarum, cuius  
 perpetuo influxu sustentantur & augentur, unde ut illius  
 operationi subjacent illæ omnes, sic ejus potentia, faculta-  
 tes animæ ad istam fidem requisitæ, potuerunt excitari, li-  
 mites illis a natura aut per peccatum posita, removeri, &  
 ipse ultra modulum, quem cæteroquin fert humana con-  
 ditio, sive tulisset illorum, qui Evangelistarum muneri præ-  
 fecti erant, augeri. Dispositio igitur talis & vis facultatum  
 mentis, intellectus, judicii, imaginationis, facultatis fin-  
 gendi, presentiae mentis, qua & causam, quam Evangelista  
 agebat, & suum agendi modum cum statu inde resultante,  
 simul vivide perspiciebat, imo sentiebat, atque a turbis no-  
 xiorum affectuum præservabatur, qualis vis ad animi  
 magnitudinem illam requirebatur, a potentia Spiritus, tum  
 immediate, tum brevi ut dicitur manu, seu ex instanti pro-  
 duci potuit, sic ut non solum modulum naturalem, magna-  
 nimitatis quæ dicitur, in negotiis gerendis, sed & illum,  
 qui a gratia salutari & sanctificante producitur, superave-  
 rit. Fidei enim salvificæ effectus, ut singulares sunt atque  
 huic extraordinariæ respondent, per certam persuasionem  
 de salute, per fiduciam in Deum, in Sospitatem atque  
 ejus promissiones, per sanctificationem cordis & morum,  
 &

& per testimonium bonæ conscientiæ, per quod justificati ex fide, pace cum Deo fruimur Rom. V, i. concipi tamen debent, quum hæc extraordinaria fides χάρισμα audiat atque ēt πνεύματι esse declaretur, quod longe infra illud sub-sidant. Fides salvifica assensum judicij præbens veritatibus Evangelii, & dum viva redditur quoque assensum voluntatis, quo mens intense desiderat salvari, illa via, quam Evangelium pandit, dum pro objecto habet sanguinem Jesu Christi, ingenerat amorem, dum vero nomen Jesu Christi, seu gloriam atque Majestatem Sosipatoris θεωρία exaltati, fiduciam, exercitio confortata, uti sanctificationis progressus urget, sic persuasionem, per cognitionem experimentalem Evangelium divinam esse potentiam ad salutem, perpetuo ad majorem perducit evidentiam, quod viam ad beatitudinem calcet, ejusque sit particeps, nec ulla fata in hoc orbe spem illam sint interceptura. Quamobrem, ut Sosipatori fidelissime adhæret, atque bona fruitur conscientia, sic fortis animi in afflictionibus edere potest admiranda specimina, uti ejus naturam & virtutem in *Dissertatione de fide in nomen Domini nostri Jesu Christi exposuimus*, sic tamen a fide extraordinaria differt. Salvifica enim objectum fiduciæ habet, privati creditis propriam salutem, extraordinaria causam Dei, quam suo ministerio, illa ornatus, promotam iri, adversus omnia obstacula confidit, & ob quam se periculis exponit, ad quam, propter rerum, que circumstant, majorem varietatem, majus requiritur animi robur & plurium animæ facultatum exiguntur exercitia, idcirco etiam augmentum aut exaltatio vis illarum, per potentiam Spiritus creatricem. Verum hæc planiora reddentur, postquam de natura horum donorum, quorum nunc elucidamus diversitatem, sigillatim egerimus.

#### §. IV.

Succedunt χαρισματα ιματων, quæ TERTULLIANUS ad versus Marcionem Lib. V, cap. 8. appellat dona sanationis.  
B 3

num. Ratio hujus doni clarior est ex effectibus, quos historia recenseret, quamvis dispositio facultatum, eo operante, sit obscurior. Prop. II. *Dona sanationum fuerunt facultates, quibusdam Ministris, quibus Evangelii prædicandi causa non fuit peregrinandum per orbem, communicatæ, membra cætus castigata morbis propter peccata, sanandi, sive unctione adhibita, sive non, invocato nomine Domini super ægrotos.* Declaranda hæc sunt uberior.

¶) Historia Evangelica de sanationibus ægrotorum a Christo atque Apostolis peracta, quam plurima profert exempla, & cum exemplis indicia omnis generis morbos fuisse pulsos, absque medicaminibus solo mandato, nuda voce, aut contactu, quin etiam umbra atque super impositionis ægrotis sudariis thaumaturgorum. Matth. IV, 23. 24.IX, 20. 35. X, 1. Marc. V, 30. Act. V, 15. XIX, 11. 12. Promiserat id Sospitator Marc. XVI, 17. 18. ubi inter signa, fidem sequutura quoque recenseret, *infirmis imponent manus atque convalebunt.* Ut tamen differunt morbi, respectu gradus gravitatis, corruptionis in machina corporis unde oriuntur, pertinaciæ & durationis, omnesque cuius demum fuerint specie ab Apostolis pelli & sanari poterant, dubius hæreō, an idem gradus virtutis communicatus sit cum ministris, speciali hoc dono exornatis atque gradu donorum & eminentiæ Apostolis inferioribus. Distinguuntur enim hæc charismata a δυάρεσι, de quibus mox. Eminuerē Apostoli supra hos inferioris ordinis ministros, atque ubi de eorum agitur operatione miraculosa, nuspiam indicium deprehendo omnis generis νόσους ή βασάνους sanandi, quod de Apostolis legitur Act. V, 15. 16. sub eorum fuisse potestate, sed solum Jac. V, 14. 15. deprehendo illos potuisse ope sua levare τὸν ασθενήν ή κακοντα, infirmum, languentem atque decubentem, morboque eapropter subitaneo ex aëris aut alienorum vitio corruptum, quæ species differunt a chronicis aut adhaerentibus a nativitate. Ασθενεῖαι enim a νοσώ atque βασάνῳ differt, cum distinguatur Matth. VIII, 17. atque vitium

vitium fluidorum, quod repente exoriri potest, potius innuit, dum posteriores via solidarum partium, quae pertinaciores generant cum doloribus junctos morbos. Cum quoque charismata sanationum distinguuntur i Cor. XII, 9. tanquam speciale donum concessionem  $\alpha\omega$  sive singulari ministrorum & distincte à reliquis classi, cum & illæ  $\alpha\theta\epsilon\pi\alpha\eta$  illarumque sanationes singulares adjunctas habuerint affectiones, in dictis in quibus de illis agitur Jac. V, 14-16. & i Joh. V, 16-19. neque in historia sacra aut ecclesiastica, ullum deprehendamus exemplum, a ministris, quorum munus ad certum alligatum erat ceterum, graviores tales atque chronicos pulsos esse morbos, existimamus, nos jure posse restringere  $\lambda\mu\mu\tau\alpha$  hæc ad certas morborum species.

2) Restrингenda autem illa erunt trifariam, respectu personarum hoc dono præditorum, morborum in quibus valuerunt, & modi medelam applicandi. Personæ, ab Apostolis distinctæ, quibus major potestas etiam in sanationibus competebat & Evangelistis inferiores, in allegatis ex epistola Jacobi ac prima Johannis dictis, sistuntur tanquam tales, qui in cœtu aliquo, munere fungebantur, dum appellantur  $\pi\varphi\sigma\beta\tau\tau\epsilon\gamma\sigma\tau\alpha\tau$  ad ægrum accersendi Jac. V, 14. Morbi in quibus valuerunt, modo sunt indicati, quod a chronicis aut a nativitate adhærentibus fuerint diversi. Nec hæc sola est illorum discrepantia a reliquis, verum & alia in locis adductis indicatur, respectu causæ atque originis. Nexus illorum docet, peccata & quidem specialia, fuisse morborum istorum sanandorum causas. Apud Jacobum vs. 16. remissio peccatorum, cum convalescentia, Domini beneficio sistenda jungitur, tanquam eventus simul expectandus, illumque in finem subjungitur statim vs. 17. confessionis mutuae peccarorum atque intercessionis mentio. Johannes quoque distinguendo peccata ad mortem, ab illis, quæ non erant ad mortem, subinnuit in his, cum causa peccato, casum infirmitatis, in quo remedium precum & intercessionum erat applicandum, atque de ejus effectu testatur,

Infer-

intercedentem, daturum esse vitam, quæ idcirco in discrimine per morbum versabatur. Manu nos ducunt hæc ad speciales morbos a Deo inflictos in castigationem piorum, ob delicta, quorum specimina deprehendimus in morbis 1 Cor. XI, 30. commemoratis, atque propter abusum sacræ synaxeos inflictis, de quibus in *Dissertatione de peccato ad mortem* egimus. Quumque inde pateat, justitiam divinam, se reddidisse manifestam in castigationibus confessorum, per morbos immisso, atque adducta loca, clare satis prodant, exempla illorum non fuisse rara sed cœbriora, dum uterque Apostolus Jacobus atque Johannes, de hoc eventu illiusque curatione, tanquam de re satis nota agunt, & Paulus, 1 Cor. XI, 30. de multis decumbentibus & infirmis in uno illo cœtu, testatur, dona sanationum restringimus ad has morborum species, quæ frequentius potuere exerceri, cum occasiones adfuerent non infrequentes. De remedio, modoque illud applicandi denique disquirendum est. Jacobus de oleo a Presbyteris cum precibus adhibendo, quod & versante in terris Christo ab Apostolis factum esse legimus Marc. VI, 13. Johannes autem de sola intercessione loquitur. Jacobus unctionem injungendo Presbyteris, tamen v. 16. membris coetus solam intercessionem peccatorum commendat, cuius post præstitam confessionem peccatorum coram eis, qui inde scandalum acceperant aut lesi erant, effectum spondet, subjungendo επεις ιαθηται; itidem Johannes ad membra coetus respicere videretur, solas preces suadendo, si quis videat fratrem peccantem non ad mortem, precetur. Satis inde inferre licet, preces in hac medela constituisse principale, atque per illas cœlitus esse derivaram in oleum virtutem sanantem, qua destituebatur alyptarum unctio. Miraculum, si non primæ tamen infirmæ magnitudinis, in sanatione ægrotorum per intercessiones agnosceret licet, quoniam nullus nexus physicus intercedit, inter sonum verborum orationis atque morborum fugam: Benedictio autem olei a Presbyteris ad unctionem ægroti adhibiti, fortassis isto adjuncta erat fine, quo per remedium in sensu incur-

incurrēns, eo magis de veritate miraculi redderentur convicti, sanationem experientes aut ejus testes. Res sane præterordinaria est, ad orationem fufam, mōrbos fuisse pulsos, arque in machina corporis, in primis in fluidis patientibus vitium, alterata esse restitura, per operationem Dei, cuius potentia fuerat invocata, unde donum, tantum sistens effectum, inter præterordinaria est numerandum & charismatis æque ac reliqua, meretur nomen. Interea rei Spiritus Sancti operatio- alio quoque modo in illo, quam per effectum, se prodebat. Sentiebarur interne in orante Jacobus enim efficaciam attribuit orationi justi *τῷ εὐεγγελίῳ*. Vox est emphatica, validam & insolitam innuens operationem a causa interna. Expectari illa non poterat nisi a Spiritu, precum authore, cuius in hoc precationum genere influxus, ex circumstantiis potest conjici, quod constiterit in singulari animi excitato fervore, id enim ut mox ostendemus phrasis *ἐνέψυχοι*, de hoc dono sanationum quoque adhibita, infert, partim quoque in extraordinaria fiducia, Dominum preces fusas esse exauditurum, quam procul dubio concitavit revelatio, peccatum ob quod morbus inflexus erat, non esse ad mortem, adeoque adesse ex Johannis testimonio, spem convalescentiae. Interea remedium precum, adhibitum in hujus doni exercitio, discrepantiam ejus, a miraculosis ab Apostolis effectis sanationibus, sigillatim docet, dum in variis harum exemplis supra adductis, illo non fuere usi, sed nudo mandato, aut contactu, aut umbra, effectum stitere.

### §. V.

Expendi meretur, modus quo dona hactenus expedita, fuere communicata cum ministris a Spiritu Sancto. Distinctio hic obtinuit, operationes Spiritus hic influentes illustrans, quam phrasis a Paulo adhibita i Cor. XII, 8. 9 infert. Verbum sapientæ donatum esse Apostolis *διὰ τοῦ πνεύματος*, per Spiritum, verbum cognitionis Prophetis *κατὰ*  
C *juxta,*



juxta, fidem autem & dona sanationum *ἐν τῷ αὐτῷ πνεύματι*, dicitur. Solius variationis phraseos causa & ob sermonis elegantiam illa sic efferri, eo minus puto, quoniam posterior dictio geminatur. Rationem adeoque habet in diversitate operationum, verum illa inquirenda est, ope significatus phraseos & illorum quae haec tenus explicuimus de ipsis donis. PROP. III. *Per Spiritum notat ejus autoritatem, juxta Spiritum indicat secundum modulum quo conceditur, in Spiritu autem per operationes quae sentiuntur.* Consentiant indicati significatus cum usu prepositionum, atque cum re ad quam designandam adhibentur, quod partitum ostendam.

I) *Διὸς πνεύματος effectum indicat, in quo Spiritus Sancti authoritas se singulari manifestat modo.* Authoritas dico, sive potentiae eminentia, quæ reverentiam excitare valet, apud omnes illam conspicentes. Omnia loca ubi phrasis occurrit, illum sensum admittunt, sed quædam manifesto exposcent. Act. I, 2. dicitur de Jesu *ἐργαλέων τοῦ Αποστόλου διὰ πνεύματος ἀγίου, præcipiens Apostolis per Spiritum Sanctum, preceptum Authoritatem innuit, Spiritus vero Sanctus, instrumentum ad inculcandum illud mandatum, simili vestitur authoritate.* 2 Thes. II, 2. ubi de tempore adventus Domini perperam anticipato, *ne mox moveamini a sententia, neque terreamini, neque per Spiritum, neque per verbum, id est authoritate cuiusdam Spiritus, sive hominis dona præterordinaria crepantis, imo revelationem ab illo indepram, cui fides habenda esset.* Sic 1 Pet. I, 22. *de purificatione cordium in obedientia veritatis per Spiritum Sanctum agitur, notio autem obedientiae, effectus, authoritatem operantis illaque agnita, reverentiam erga eum involvit.* Itidem Act. XXI, 4. *de discipulis Paulo per Spiritum vetantibus ne iter Hierosolymas susciperet, ubi interdictum authoritatem infert.* Alia non addo. Elucebat autem singularis Spiritus Sancti authoritas in Apostolorum dono. *Potentia, reverentiam ipsis atque effectum agnoscensibus,*

incit-

incutiens manifesta reddebat, eo, quod homines plebeji, scientiis humanis non exulti tanto ornarentur charismate, quo non solum nexus viarum Dei sapientissimos, qui haec tenus humanæ mentis aciem effugerant, enarrando pandere, sed & novam rebus faciem induere poterant, mediisque erga refractarios uti, de summa autoritate testantibus, qualia erga Ananiam & Sapphiram Petrus Act. V. & erga incestuosum Paulus i Cor. V. adhibuit.

2) Κατὰ πνέων, quod explico per modulum Spiritus, sive ut ille dabit, Prophetæ λόγον σοφίαν adhibuere. Significatus ille, cum talis constructio præpositionis rarius occurat, & aliquando contra Spiritum notet Matth. XII, 32. Gal. V, 17. ex dicto Rom. I, 4. adstruitur, ubi de Sponsatore, demonstrato in potentia, quod filius Dei sit, juxta Spiritum sanctitatis. Spiritus enim ille, is est, qui in conceptione operabatur, & de quo in annuntiatione angelus testabatur, Luc. I, 35. *Veniet ille super te, unde Sanctum ex te natum filius Dei appellabitur.* Modus atque modulus ille operandi erat potentissimus æque ac summus, per quem talis demonstratio & manifestatio filii Dei facta est. Concordat explicatio cum dono. Revelationes futurorum, atque mysteriorum, non erant continuæ, sed interceptæ atque indultræ, dum ausa ac necessitas illas exigebat. Neque meditationes de veritatibus arcanis & sublimibus, potuere institui quovis tempore, sed dum Spiritus Sanctus mentem afficiebat. Fortassis quoque diversitas obtinuit graduum in revelatione futurorum, apud diversos, ut quibusdam sublimiora atque magis generalia fata Ecclesiæ sint patefacta, quam aliis. Sane mysteria, quæ dissertatione præcedente indicavimus Paulum Ecclesiæ manifestasse, de conversione Judæorum Rom. XI, 25. de statu resurgentium i Cor. XV, 51. atque Johannem in Apocalypsi, altioris sunt indaginis, quam quæ Agabus patefecit Act. XI, 28. & XXI, 10. Ita. Nihil tamen certi definimus. Si hoc locum habuit, apud revelationem propheticam idem obtinuit, quod primo die

C 2

pen-



pentecostis, quo Apostoli omnes cæpere loqui linguis peregrinis, πανθός τὸ πνεῦμα ἐδίδε αὐτοῖς αποφθέγγεσθαι Act. II, 4.

3) ἐν πνεύματι designat modo sensibili, quo vel Spiritu donati vel effectus ejus spectantes, operationes illas experti sunt. Sic Paulus Rom. IX, 1. *conscientia testatur in Spiritu Sancto*, sive ut singuli modo sentiat, Rom. XIV, 7. *gaudium in Spiritu Sancto*, quod sentitur, Rom. XV, 13. *implat gaudio & pace ad credendum, ad abundantiam spei in Spiritu Sancto*, id quod sine sensu vivido nequibat fieri. Cor. VI, 11. *abluti estis sanctificati, purificati estis in nomine Domini nostri Iesu & in Spiritu Dei nostri*, sive effectus istos salutares experimini, qui antea ut in nexu dicitur tales non eratis. Johannes dum toties in Apocalypsi I, 10. IV, 2. XVII, 3. XXI, 10. testatur *eram in Spiritu*, indicat mutationem valde extraordinariam, quam expertus & cuius conscientia probe erat. Sic & de observata ab aliis, auctoritate observanda Spiritus Sancti operatione i Thes. I, 5. *scimus quod Evangelium nostrum non fuit apud vos solum in verbis, sed & in potentia, & in Spiritu Sancto, & in ubertate multa, sicut scitis quales inter vos fuerimus vestri causa*. Planum facile fiet dona illa fidei & sanationum, sicut ea modo explicuimus fuisse juncta operatione, quam interne sentiebant. Animus ille fortis & heroicus pericula despiciens & fiducia auxilii divini fretus, ut supernaturali virtute excitabatur, sic impulsus experiri debebat, qui naturales atque ordinarios excedebat. Accidente fide miraculorum, persuasio, quæ fiduciam illam nutriebat, non ex generalibus promissionibus haurienda, speciales exigebat suggestiones Spiritus. Cumque sanationes peractæ fuerint mediabitibus intercessionibus, sed ἐνεργευειναι, in quibus inlita Spiritus revelatio & excitatio obtinuit, liquet, quomodo utrumque donum possit dici ἐν πνεύματι, sive adhibitum, ut Spiritus Sancti influxus singularis se manifestum reddiderit, apud Evangelistas atque dono sanationum praeditos.

§. VI

## §. VI.

Ordine in binis recensibus tertio, in tertio vero, quarto, donum nomine δυνάμεων fistitur. In antecedente quidem dissertatione conjiciebamus, illud esse generale, atque sub se complecti sequentia dona, quæ non ut antecedentia & hactenus illustrata, diserta Spiritus adjecta mentione, ex ejus speciali derivantur operatione, quoniam aliquando dum de donis extraordinariis agitur, Spiritus atque potentia junguntur, ut Luc. I, 17. & 1 Cor. II, 4. Verum in secundis curis, dubia fuerunt subiecta, quæ ut sententiam mutarremus nos induxerunt, & illa itidem haberemus pro dono singulari atque a reliquis diverso. Adjuncta enim vox ἐνεγγύηστας, cum diversum quid a χρείοις indicet, singularem eo magis inferre videretur speciem, quoniam in enumeratione donorum, juxta cum aliis, δυνάμεις recensentur, atque ιάματα præmissa, si vox generatim miraculosos effectus denotaret, ejus essent species, a quibus tamen distinguuntur. Præterea in stilo N. T. singularem cernimus combinationem vocum ἐνεγγύησταις & δυνάμεως, quæ moneret, illa designari operationem divinam ab aliis distinctam, Gal. III, 5. Ephes. III, 7. & 10. Col. I, 29. &c. Igitur PROP. IV. Vox δυνάμεων in recensu hoc notat effectus stupendos potentiae divine, in miraculis, per homines electos, ut instrumenta, dum e re Ecclesiæ erat, varius tamen, productos. Dum illas distincte ab ιάμασι speculo, quædam in antecessum declaranda sunt.

1) Primum attinet vocem ἐνεγγύηστας, junctam ταῖς δυνάμεσι & harum fontem indicantem, distinctam vero a χρείοις, fontibus donorum præcedentium. Vix observatur oriens hinc distinctio, nisi in antecedentibus, diversitas attendenda indicaretur. Ad classes tres vs. 4. 5. 6. referuntur effectus præterordinarii in primitiva Ecclesia producti, juxta διαρρήσεις in diversis membris, quo impenderentur in commune bonum, & explicati, quo pateat, quinam illi sint, qui per Spiritum Sanctum loquebantur, &

C 3

quid

quid different, ab haec dona mentientibus fallaci specie. Χαρισμάτων διάγετος derivantur ab uno illo Spiritu, διάγετος διάκονος ab unico Domino, διάγετος επεγνωμάτων ab unico Deo, operante omnia in omnibus. Charismata in subsecente enumeratione distincte satis indicantur, dum a Spiritu Sancto clarissima mentione derivantur quatuor priora, verbum sapientiae, verbum cognitionis, fides cum donis sanationum. Διακονος, munera singulari modo subservientia cœtuum indigentiae, in quatuor postremis quero, in Prophetia, discretione spirituum, generibus & interpretatione linguarum. Patet id ex disquisitione mox instituenda de illorum ratione. Hinc quoque lux oritur, quamobrem in ordine munerum vs. 28. recensitis in ordine charismatum, respondeant αἱρέταις & κυβερνήταις, quæ ex usu vocum, ministerii ecclesiastici ordinarii notionem inferunt. Supersunt adeoque ἐργάται, quæ diserte ad δύναμις referuntur, nobisque idcirco manifestant, illorum a charismatibus & diaconiis generali distinctionem. De speciali disquiremus confestim.

2) Vox illa δύναμις, aliquando generatim de causis effectuum miraculorum, aliquando speciatim de quibusdam distinctis classibus adhibetur. Generalis significatus occurtere videtur Matth. XI, 20. 21. 23. XIII, 54. 58. Luc. V, 17. VI, 19. Act. VI, 8. X, 38. nisi & inter illa dicta sint, quæ ad certas species, per nexus possint restringi. Speciales tamen significatus lucem accendent. Illustris est locus Ebr. II, 4. ubi de testimonio prædicationi Evangelii a Deo exhibito, quod factum sit per σημεῖα καὶ τίγατα signa & portenta, quæ ex usu in stilo sacro, species miraculorum designant, & per πονηκας δύναμις, quæ idcirco alias denotabunt, & per Spiritus Sancti μεγαλεῖς, ubi eapropter & donorum illius a δύναμις discretorum classes, quas in antecedentibus distinximus, deprehendimus. Species alia miraculorum, insignite δύναμις appellatorum occurunt. Ejectio dæmonum hoc nomine venit Marc. IX, 39. Luc. IV, 36. tum & cap. X, 1. Act. XIX, 11. 12. in quibus simul sanatio mor-

morborum ex hoc fonte derivatur, quanquam Matth. VII,  
 22. expulsio dæmonum a potentia distinguitur. Sic &  
 sanatio haemorrhous, ~~duo~~ <sup>tres</sup> exeunte a Sospitatore attri-  
 buitur Marc. V, 30. & omnium morborum Luc. VI, 19. de  
 quibus Matth. XIV, 36. testatur, quod διεσώθησαν prorsus  
 fuerint sanati, denique restitutio claudi audit ὅρων Act.  
 III, 22. Superest tamen miraculum primæ magnitudinis,  
 mortuorum resuscitatio, quod potentia, tanquam effectus,  
 in quo illa clarissime conspicienda erat, insignite attribuitur  
 Matth. XXII, 29. Sospitator disputans cum Sadducæis illam  
 negantibus, eis objicit erratis ignorantes Scripturas & δίνε-  
 πινούς Dei. Supra omne dubium illa operatio divina ponitur  
 1 Cor. VI, 14. Deus autem Dominum resuscitavit, & nos  
 suscitabit, διὰ τῆς δυνάμεως αὐτῶν. 2 Cor. XIII, 4. & licet cru-  
 ci sit suinus εἰς αἰθέλιας αἴλας ζῆ ἐκ δυνάμεως Θεοῦ, καὶ γὰρ  
 ἡμεῖς - - ζητοῦσθα σὺν αὐτῷ, ἐκ δυνάμεως Θεοῦ, ἐις ἡμᾶς. Ebr.  
 VII, 16. de Sacerdotio Sospitatoris, qui resurrexerat dicitur,  
 constitutum esse κατὰ δύναμιν ζῶντος αἰτατάλευτος. Sed quod pro-  
 be observandum est, ἐνέγειρα δυνάμεως, de hoc summo ope-  
 re toties adhibetur. De resuscitatione Sospitatoris ex morte  
 Ephes. I, 19. cumulantur phrases υπερβολικὸν μέγεθος τῆς δυνά-  
 μεως κατὰ τὴν ἐνέγειραν τὴν κράτες τῆς ισχύος αὐτῶν, ἢν ἐνέγγονεν ἐν  
 τῷ Χριστῷ, ἐγείρας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. Col. II, 12. laudatur fides  
 τῆς ἐνέγειρας τῷ Θεῷ τῷ ἐγείραντος (Χριστῷ) ἐκ τῶν νεκρῶν. Phil. III,  
 21. ubi de operatione Sospitatoris, in corporum nostrorum  
 glorificatione, post resurrectionem dicitur, ipsum id per-  
 acturum κατὰ τὴν ἐνέγειραν τῆς δύναμεως αὐτὸν ὅποταξει ἔαυτῷ τῇ  
 πάντᾳ. Singulari luce radiat dictum Herodis, quanquam  
 respectu gentium a Sospitatore, ex superstitione profectum,  
 sensum tamen phraseos δυνάμεων ἐνέγγοντων, inter Judeos ex-  
 planans, Matth. XIV, 2. Hic est Johannes Baptista, qui re-  
 suscitatus est a mortuis, eapropter αἱ δυνάμεις ἐνέγρειν ἐν αὐτῷ,  
 ipsæ illæ nempe potentia per quas resuscitatio facta est.

3) Hinc tres species voce potentiarum designatas, ex  
Sacris eruimus, ejectionem nempe dæmonum, sanationem  
 omni-



omnium morborum, atque resuscitationem mortuorum. Potentias igitur operatione Dei validissima productas, ut distinctae sunt a donis sanationum, idem miraculosis, in prima Ecclesia in his ponimus. Licet enim de pulsis dæmonibus, ab aliis quam Apostolis, in illorum ævo ob defensionem monumentorum nihil legamus, cum maxime quoniam in Apostolorum Epistolis, ansam talia commémorandi, adfuisse non liqueat, adsunt tamen indicia, id tentatum fuisse ab ipsis illis qui Christo nomen non dederant, in nomine tamen Iesu Marc. IX, 38. 39. Act. XIX, 13. cumque potentiam pellendi Spiritus impuros ipsis LXX. dederat discipulis Luc. X, 17. quidni illa quoque aliis communicari, atque ab illis exerceri potuit. Sanationem porro morborum chronicorum & pertinacum subjungimus, quam ab Apostolis peractam esse ex Act. V, 15. 16. XIX, 11. 12. adstruximus. Licet & in hac parte destituamur exemplis, sufficere potest testimonium de ἐνεργίαις his δυνάμεων, distinctionis a χαρισμάτοις iuxatas. In subsidium distinctionis supra adstructæ voco, quæ de Iesu gestis Nazarethanis narrantur Marc. VI, 5 quod nequiverit ibi vel unam δύναμιν perficere, nisi quod paucos infirmos, imponendo manus sanaverit. Opponuntur hæ sanationes δυνάμεων, neutquam vero ut species considerantur. Id liquet ex nexus, ne ἀδειαὶ δύναμιν effecit, relevavit tamen ægros, igitur iuxatas non δυνάμεις perfecit: Præterea mirata erat plebs Nazarethana, vs. 2. unde eveniat, quod tantæ δυνάμεις per manus ejus perficerentur, illæ vero in proxime antecedentibus cap. V. erant enarratae, resuscitatio nempe filiæ Archisynagogi vs. 35. & seq. atque sanatio hæmorrhous vs. 25. tq. Simili modo Act. IV, 7. memorata dæmonum expulso & sanatio paralyticorum ac claudorum, nomine δυνάμεων μεγάλων vs. 13. insignitur. De mortuis ab aliis quam Apostolis resuscitatis, idem nihil legimus in Apostolorum ævo, unde & huic solum testimonio Pauli quod illustramus, fidendum est.

4) Silen-

4.) Silentium Sacræ & profanæ historiæ, de his effectis in rei Christianæ initiis, si illa quæ de Apostolis narrant excepéris, suspicionem movet rarius illos fuisse præstítos, neque tam frequentes fuisse, quam *iduata* ægrotantium ex divinis castigationibus ob commissâ peccata. Hæc dupliciti modo monebant & convincebant, partim per malum immissum ob peccata præcedentia, partim per illorum depulsionem. Potentia, cum Deus non sit prodigus in miraculis, rarius effectus suos prodidere. Et etiam si id non statuatur, exigi tamen nequit, ut in litteras fuerint relati, dum simplex mentio, propter *ἀξιοπεισίαν* verbi Dei sufficit, atque Paulus commemorans *δυράσσεις*, comitantes verbum ejus Corinthi & Thessalonicæ *1 Cor. II, 4.* *1 Thess. I, 5.* nihil sigillatim de patratis per illas enarrat, quod & non faciunt Acta apostolica Cap. IV, 33.

5.) Ob indicatas potentiarum species, recedo ab Interpretibus, quos *SALDENUS* in *Otiosis Theologicis* pag. 456. adducit, qui illas plerumque reduxerunt at facultatem castigationes divinas infligendi exorbitantibus, saltem illam sub hac specie donorum fuerunt complexi, quem in finem, inficta Anania & Zapphire repentina mortis a Petro pœna, atque traditio Satanæ Alexandri ut & incestuosí in cœtu Corinthiaco, a Paulo facta, adduci solet. Huc inclinat *HAMBONDUS* in *notis ad 1 Cor. XII, 28.* adversus quem tamen vide CLERICUM. Nuspian legimus, præter Apostolos quemquam tanta vestitus fuisse autoritate, ut pénis animadvertere potuerit in delicta improborum, & quæcunque legimus patrata fuisse miracula a Thaumaturgis illa cesse re omnia in aliorum beneficium, non in castigationem.

### §. VII.

Sequitur Προφητεῖα, cui nulla addita est mentio speciarium Spiritus Sancti operationum, aut divini influxus, sicut in quinque primis donis, quanquam & hoc, sicut reliqua

D

qua

qua quæ sequuntur, ex distributione Spiritus & Deo operante omnia in omnibus, derivetur. Nobis PROP. V.  
*Prophetia est donum, veritates fidei credentibus exponendi, ad maiorem convictionem, excitationem studii sanctificationis atque consolationem, quod a strictius dictorum Prophetarum dono sive verbo cognitionis differebat, quoniam per illud mysteria fidei, arcana haec tenus ignorata & futura ecclesia indicabantur.* Differentia illa primum est evincenda, deinceps qualitates huic dono assignatae, sunt illustrandæ.

1.) Monuimus in dissertatione præcedente, de sententiis, quod in hac re eruditos dirimit, divortio. Nos ut differentiam inter duplex Prophetæ donum atque Prophetarum munus, statuamus, plus quam uno permovemur argumento. Principale est, occurrere utrumque nomen, ubi de revelatione atque prædictione futurorum neutiquam cogitandum est. Act. XIX, 6. ubi de discipulis Johannis, a Paulo baptismo tinctis atque post impositionem manuum Prophetantibus, nemo de prædictione futurorum aut manifestatione rerum abstrusarum ab illis facta, magis cogitat, quam dum legit Saulem inter Propheras idem peregisse 1 Sam. X, 10. 11. XVIII, 10. Luc. I, 16. itidem nomen Prophetæ occurrit, attributum Johanni Baptista recens nato, in vaticinio Patris, ejusque descriptio prolixior proponitur, in qua nil de prædictione futurorum, aut revelatione arcanorum dicitur, sed mere talia, quæ opus spectant doctoris, salutarem doctrinam diligenter atque cum fructu inculcantis & semitam justitiae indicantis. Et quid de Cajapha cogitandum, de cuius sententia in Synedrio circa mortem Christi lata Joh. XI, 51. eadem vox occurrit. Ex divina illum loquutum esse revelatione, quis asserere sustineat? quum tali dono obstet status animi prorsus perversus, de quo pessima quævis præsumere jubent facta atque secta Sadducæorum cui addictus fuit Act. V, 17. Et quanquam verba ab ipsa prolata, trahi possent in sensum, ad naturam vaticinii prope accendentem, illum tamen ipsis ea propter non attribuimus,

baumus, quoniam cognitione atque fide, quam talis sensus supponit, de salute a Jesu Nazareno paranda, destitutus fuit. Hinc qui ex divina revelatione illum futura de Jesu prædictis statuunt, plurima dura supponere coguntur, nempe potuisse quenquam inscium ex divina revelatione vaticinari, porro Deum ad vaticinandum fuisse usum hominibus tanquam machinis, neque sentientibus se affici divina luce, neque quæ protulerunt intelligentibus. Cajaphas enim, si siccæ affici sensisset, contumax resistere non potuisset, & si vaticinii, uti concipitur, sensum intellectisset, Iesum odio non potuisset ulterius habere. Igitur vocis significatu maxime laxo prophetavit, sive nervose atque cum autoritate, sententiam de negotio gravi, in publico dixit con ventu.

2.) Objectionem prævideo, ex nostra interpretatione, sensum vocis reddi vagum, atque τὸ Προφῆτεν attribui personis, quibus titulus Prophetæ, utpote secundum munus inter ordinaria designans, dum id de quo agimus sextum denotavit, non competet; Et quod magis est, ipsos illos, qui προεΦητεον, in sensu magis exili i Cor. XIV. appellari Prophetas, adeoque in alio, quam illis, quibus insignite hic titulus in ordine munerum ante Evangelistas datur. Factor interpretationem, quæ sensum reddit varium & fluctuantem, vitandam esse, quoniam significatus certus atque determinatus, in scriptis cuiuscunque sapientis, at multo magis in scriptis ortis ex revelatione Spiritus Sapientissimi, obtainere debet. Verum neque varietas, neque contrarietas sensus in nostra explicatione locum habet. Unius rei plures possunt esse gradus, illi tamen voce generali, possunt designari. Imitati sunt Apostoli stilum antecedentis revelationis, cuius uberior erat declaratio, illa, quam Deus ipsis indulgebat. In V. T. duplicit generis observamus Prophetas, qui vocabulis ordinariorum atque extraordinariorum solent distingui. Priores in Scholis Prophetarum docebant, instituendo Prophetarum filios, tradendo religiosis antea revelata mysteria, explicando rituum legis ar-

D 2

canæ



cana cum spe in vaticiniis præcedentibus contenta, hortando atque exemplis excitando homines ad sanctimoniam; posterioribus Deus arcana & futura revelabat, illisque imponebat munus populum primoresve sive de peccatis sive de officiis specialibus monendi, dum e re erat Ecclesiæ. Saulus erat inter Prophetas atque vaticinabatur, 1 Sam. X, 10. 11. cui tamen ut & sodalibus, quos inter versabatur, obtigisse revelationes futurorum, atque specialia mandata ut Nathani, Eliae, Elisei aliisque fuisse imposita, vix statuet, qui vatum historiam excusfit, atque contulit quæ industria virorum doctorum ad illustrandam hanc matrem WITSII Miscell. S. p. I. L. I. c. 21. VANTILL ad 1 Cor. XII, 21. & BURMANNI, de Ministris N. T. extraord. eruit. Nihilominus audiebant isti Prophetæ. Et ne nobis fraudi sit, nostros donum a Spiritu Sancti operatione accepisse, observandum est, præter ordinariam operationem, atque excedentem solitam, etiam apud istos locum habuisse: Sane vaticinatio Sauli a Spiritu derivatur 1 Sam. X, 6. cuius insolite operations in hoc dono, deinceps a nobis discutientur. Nec prorsus illis caruisse Bileamum Num. XXIII. cum historia, contenta cum fastu & pompa edictorum ab ipso, aut pseudoprophetas, gloriose prophetia in nomine Jesu Matth. VII, 22. evincunt.

3.) Afferenda nunc sunt quæ de horum Prophetarum munere in antecedentibus diximus. Complectitur illa omnia Paulus 1 Cor. XIV, 3. dum distinctionem indicat inter donum linguarum atque Prophetiam, atque indicata a nobis sic proponit, ὁ δὲ προφητεύων λαλεῖ ἀθέωποις ἐκπορευόντι sive quæ ad adstrunctionem veritatum & confirmationem in fide faciunt, οὐ παράνησον sive quæ ad hortationem, aut excitationem studii sanctificationis οὐ παραμέθαι sive ad consolationem faciunt. Uti hic nihil de prædictione futurorum, quæ & non nisi per longam consequentiam ad indicatos fines facere poterat, sic materia hujus prædicationis, qua veritas ad animorum convictionem proponebatur & ad

con-

conscientias applicabatur, aliunde quam ex nova & immedia-  
 ta Dei inspiratione, ex revelatione scilicet pridem facta, erat  
 cognita. Quod Paulus ibi, definiens prophetiae minorem  
 gradum indicat, id exemplo prophetantium Act. XV, 32.  
 ulterius confirmatur & illustratur, *Judas vero atque Silas,*  
*cum & ipsi Prophetæ essent, per plurimas rationes hortati*  
*sunt fratres atque confirmaverunt.* Quicquid in definitione  
 adducta, Prophetiae tribuitur, illud facto per hos præsti-  
 tum esse, indicatur. Præter hortationem enim reliqua com-  
 prehenduntur voce *πεντηζαντα*, *confirmaverunt*, quæ non  
 solum certam de dogmatibus persuasionem, sed & fiduci-  
 am conscientiæ, de salute possidenda, in animis productam,  
 designat. Reliqua contenta capituli XIV, 1. ad Corinthios  
 sic comparata sunt, ut significatum modo indicatum con-  
 firment. Sic vñ. 4. de Prophetante dicitur, *quod cœtum*  
*adficet*, id autem magis sit per veritatum inculcationem,  
 quam per prædictionem futurorum. Idem sensus obtinet  
 vñ. 22. *Prophetia est in signum credentibus non incredulis,*  
 fuisse autem incredulis signum, siquidem illa futura &  
 mox impleta essent prædicta. Qum autem increduli, af-  
 sensum veritati, per prophetiam inculcatæ non dederant,  
 illa ad convictionem eorum conferre nihil poterat. Qua-  
 drant quoque contenta vñ. 24. 25. de incredulo aut idiota  
 superveniente, si omnes in cetero prophetarent, qui ab  
 omnibus convinceretur atque judicaretur, ut abscondita  
 cordis ejus manifesta redderentur, ille vero procidens in  
 faciem pronus, Deum adoraret & fateretur Deum esse re-  
 vera in illis. Licet enim manifestatio absconditorum cor-  
 dis, videatur respicere ad altiorem Prophetiae gradum,  
 ostendunt tamen quæ circumstant, illam non esse patefactam  
 a prophetante, sed ab ipso incredulo, convicto atque  
 ad confitendum Deo impulso per *πλεγχον* & *ανάρχον*. Liquet  
 idcirco in hac Prophetie specie, convictionem constituisse  
 principale, quam inculcatio veritatis potius ac prædictio  
 futurorum, producere valuit. Clarissime thesin nostram  
 confirmat nexus inter vñ. 29. & 30. Distinguuntur in illis

D 3

pro-

prophetia atque revelatio sive Apocalypsis, quam ubi de Prophetarum dono agebamus, ad illud referendum esse indicavimus. Igitur distinguuntur a se Prophetiae gradus minor, ipsa illa voce indicatus, atque major. Ad maiorem, quem omni modo alteri præfert, loquenti silendum esse jubet, quumque si prophetarent duo vel tres, reliquis ex ordine scilicet Prophetarum, inumberet prolatorum ab ipsis dijudicatio, id certe in revelatis a Deo arcanais aut mysteriis locum habere non poterat, utpote quæ hominum iudicio non erat subiecta, poterat autem in propositis collectis ex veritate jam revelata & in verbo contenta. Demonstratio enim dogmatum fidei, per argumenta siebat, inter quæ vaticinia V.T. comparata cum eventu atque ad illum applicata, non ultimum habebant locum. Poterant vero sub examinis incudem vocari istiusmodi conciones, ab aliis, eodem dono prædictis, quos inter, ut dona gradu diferebant, esse poterant, majori collustrati luce, atque disquisitione institui, non solum an cum veritate consentirent, sed & an prætermissa addi mererentur, aut proposita magis nervosæ ad convictionem atque ædificationem dici potuerint. Novum pro sententia argumentum sequitur vñ. 31. *Potes̄tis quidem omnes, unus pos̄t alium prophetare, ut omnes discant & ad meoneantur, ubi iterum fructus cum fine hujus gradus Prophetiae commemorantur, institutio cum moneſta, e qua non solum auditores, sed & ipsi qui verba fecerant, pos̄t διάνοιαν illorum, quæ proposuerant, proficerent.* Concordat regula huic Prophetarum classi a Paulo Rom. XII. 6. data, normam Prophetiae esse ἀναρογίαν πίστεως. Quam ambigua vox ἀναρογίας sit, quamque varie explicata, consentiunt tamen interpres plerique, ad significatum moduli aut mensuræ accedere proxime, atque dicto indicari quemlibet in hoc opere versari debere, juxta concreditum ipsi a Deo modulum, conf. HAMMONDUM ad locum. Hoc vero posito, diversa mensura donum hoc fuisse concreditum, clarius intelligitur, quo pacto διάνοιας antea memorata propositionum propheticarum ab aliis exerceri, atque

que illi corrigi potuerint, qui modulum excederent. Subjungo ultimum argumentum pro nostra explicatione Prophetiae, per illam posse declarari dicta Pauli 1 Tim. IV, 14. de dono in Timotheum collato, per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii. Si de institutione in dogmatibus fidei, præmissa, de graviter atque nervose inculcata hortatione cum explanatione solatii percipiendi ex munere fideliter gesto, quum imponerentur manus, haec capiamus, omnia sunt plana & rei, personæ atque scopo convenient. Suadet Paulus *μη αὐτοῖς ne abjicias curam charismatis illius* sic collati. Conferre multa poterant ad curam illam acendum, recordationes hortationum atque consolationum, quas audiverat, dum inaugurabatur, & plura quam prædictiones de rebus futuris, quæ supponuntur nomine Prophetiae indicari, etiam si illæ ejus personam atque fata spe-  
ctassent, quanquam ob multas rationes creditu difficile sit, Deum inaugurando fata ipsius futura reddidisse manifesta, utpote quorum præcognitione, studium multarum virtutum, potius sufflaminari quam incitari potuisset.

4) Priusquam a Prophetiae dono discedam, observandum esse iudico, videri satis aperte indicari, altioremi aliquando gradum, illis qui minore gaudebant, per immediatam revelationem fuisse indultum. Tali enim modo dicta de negotio Prophetarum in cœtu, deque ordine in propositionibus observando 1 Cor. XIV, 29-32. efferuntur, ut nisi hoc statuatur, nulla eorum ratio nullusque inter ea nexus indicari queat. Tres, nec plures, jubar Apostolus ut Prophetæ, sed unus post alium, in cœtu loquuntur, tunc vero reliqui dicta dijudicent. Subjungit, quod si vero alteri, sedenti, (ex Prophetarum scilicet ordine, de eis enim agi ratio addita vs. 32. docet) obtингat *εποκαλυψις*, prius loquenti adeoque prophetanti tacendum esse. Indicat revelationem inopinato posse obtингere, absque illa tamen aliquem posse prophetare. In tali vero casu donum altius præferendum esse, non solum injunctum  
lo

loquenti silentium, verum quod magis est, regula generalis vs. 32. de subordinatione Spiritus Prophetarum sub Prophetis, insignite sic dictis, moneret. Habemus hic specimen, Prophetarum nomine κατ' οὐρανού appellatos fuisse, quibus ἀόγος σοφίας, ad quem per antecedentia nostra observata apocalypsis pertinuit, concreditus fuit, quamlibet alii isto dono delituti, eodem nomine fuerint gavisi. Fortassis conjectare hic licet, Prophetas in sublimiori munere constitutos & altiori dono præditos, ex eorum fuisse ordine in ecclesia, qui Prophetiam modo explicatam, exercebant, promotos ad majus donum atque pendens inde munus, per revelationes cœlitus concessas, postquam in tractanda doctrina, adhortatione atque consolatione satis exercitati & fidi fuerant comprehensi. Augmentum enim donorum iocum habuisse, suo loco ostendam, atque ad illud studium, exercitationem cum fidelitate in concreditis, fuisse requiritum, docent monetae Timotheo propositæ i Ep. IV, 14. μη αμέλει, ne ahijicias curam charismatis & 2 Ep. I, 6. ut studeat ἀναστρέψειν, excitare charisma sive exhibitis quasi flabellis igniculos vividiores iterum iterumque reddere. Hoc pacto vero videmus, quæ discrepantia intercedat inter memoratos Act. XIII, 1. Prophetas & doctores in coetu Antiocheno, ut Prophetæ, qui præmittuntur, habeantur pro talibus, qui afflari divino jam fuerant dignati, quibusque obtigerant revelationes, per quas præparati erant, ad alias recipiendas, siquidem Dei sapientiae visum fuerat, e re Ecclesiæ esse, ut illis instrueretur monereturve. Concordant hæc cum revelationis Propheticæ sub V. T. ordine, quem supra adduximus, juxta quem aliquibus qui Doctores in Scholis Prophetarum erant, ut Eliæ atque Elise, apocalypses divinæ indultae atque altiora dona cum munere concredita fuerunt.

§. VIII.

## §. VIII.

Sequentia dona, nos non adeo ut præcedentia detinebunt, quum obscuriora sint, neque tot specimina præstitorum per illa, quam de reliquis in historia Apostolica occurrant. Eruere tamen de illis poterimus, quæ ad distinctam cognitionem sufficiunt. *PROP. VI. Dijudicatio Spirituum, consistebat in illuminatione, a Spiritu Sancto mentibus quorundam in cætu indulta, per quam ex characteribus, veros legatos ab impostoribus discernere horumque fallacem speciem, quam simulata esset, detegere valebant.* Ulterius donum istud non extendimus, neque facimus cum illis, qui ad id simul referunt explorationem facultatum atque habituum illorum, qui ad munera in Ecclesia erant adhibendi. Est in illa hæresi *AMELIUS in elucidatione difficultorum V. & N. T. dictorum p. II. pag. 133.* Electio enim si non ex revelatione Dei personas designante, peracta est, ut Act. XIII, 2. sorti, ut antiquitates ecclesiasticae docent, commissa fuit. Et cum in adductis ab illo testimoniosis, agatur de exploratione ministrorum, ab Apostolis facta, nos vero de dono agamus membris cætus concredito, quorum nec donum nec munus apostolico æquiparandum est, patet illa neutrum determinare, istam in quam inquirimus *διανογειν πνευματων.*

1.) *Πνεύματα*, per vocis singularem usum, denotant personas doctrinam profitentes, seque ut doctores gerentes, sed tanquam *πνευματικοί*, Spiritu, cuius dona creabant, prædictos. Hoc sensu I Joh. IV, 3. πᾶν πνεῦμα est quilibet doctrinam profitens, nec confitens quod Jesus Christus venerit in carnem. Nexus id confirmat. Monuerat vs. I. Dilecti ne credite cuilibet Spiritui, sed explorate Spiritus an ex Deo sint, confessim vero subjungit rationem, nam multi falsi Prophetæ exierunt in mundum. Respondent idcirco pseudoprophetæ, spiritibus explorandis & cum explo-

ratio eo fine sit instituta, quo patuerit, utrum ex Deo fuerint Spiritus isti, utrum non, planum est quod Spiritu Dei se agi, atque illius impulsu loqui professi sint. Insolitus hic significatus non est, dum idem occurrit Apoc. XIII,  
13. 14. de prodeuntibus ex ore draconis & ex ore bestiæ & ex ore pseudoprophætra *tribus impuris spiritibus*, similibus ranis, quibus tribuuntur negotia seductorum.

2.) Διαίρεσιν ex descriptione addita i Joh. IV, 1, plane satis addiscimus. Judicium formandum notat, num sic se habuerit, uti præ se gloriando ferebant, revelatio, quam creabant, divina, aut num dogmata, quæ profitebantur, a Deo originem duxerint. Insignis falsorum doctorum copia, ipsis temporibus apostolicis exsurgebat, doctrinam simul & mores confessorum corrumperet tentans, speciemque veritatis, virtutis, sanctimoniacæ, atque sapientiacæ præ se ferens maxime sublimis. Vix una est inter epistolas apostolicas, in qua non occurrat, sive diserta de illis mentio, sive acerbæ de eis quærelæ, sive etiam cautions, magis teuste propositoræ, & industria virorum eruditorum, adhibita face Historiæ Philosophicæ, cum maxime sic dictæ Orientalis, hæc in lucem pertraxit. Conferri merentur quæ Reverendissimus MOSHEMIUS in Institutionibus Historiæ Ecclesiastice majoribus Seculi I. de illis disputavit. Nos illa mittendo, intenti solum eis, quæ Sacra commemorant, clarissima de illorum fraudibus, technis, vitiis atque erroribus producemus, quæ explorationem de qua agimus, illustrant. Jaçtasse illos futurorum fibi impertitas, revelationes, fidem facit horatio Pauli ad Thessalonicenses 2 Ep. II, 2. ne credentes se paterentur facile moveri a sententia, aut tentari per prædictiones de prope instantे adventu Domini, ubi technas a pseudodoctoribus adhibitas recenset, atque enumerat, πνεῦμα sive revelationem a Spiritu Sancto, λόγος sive ratiocinia, denique epistolæ sub Apostolorum nomine factas. Errores dogmaticos reliquos, sed tales, quibus Christianæ religionis fundamenta evertuntur Johannes I.

nes I. Ep. IV, 3. & 15. Jesum Christum venisse in carnem, atque Jesum esse Dei filium, diserte, plures autem alios per totam Epistolam teste indicat. Horret animus ad pieturam & characteres morum a Petro 2 Ep. II. capite & in epistola Judæ propositos. In epistola ad Colossenses cap. II. affectatae sanctimoniae, sed genio religionis Christianæ prorsus adversa specimina, in epistolis ad Timotheum atque Titum frequentem errorum arque vitiorum mentionem deprehendimus. Quid adversus Pauli personam & dogmata sint moliti, posterior ad Corinthios epistola docet. In epistolis apocalypticis sic designantur, ut patescat iniquitas, nec sine animo erroribus illorum se opponit Paulus Gal. I, 7 - 9 flagitiis autem Phil. III, 2. & 17. 18. Hi ad cœtus, simulata specie accedebant, ut turbarent confessores Gal. I, 7. quos inter erant creduli nimis atque rerum novarum cupidi, qui specie apparente se falli sinebat, quod vitium Corinthiis exprobatur 2 Cor. XI, 3. 4. 13 - 16.

3) Exploratio instituitur juxta criteria, quibus verum a falso aut errore, atque bonum apparet a solido discernitur. Actus est judicii discernentis. Videri poterat hoc opus per facultates mere naturales, potuisse peragi. Verum si simulatam pietatem, & affectatum pro veritate Zelum, in his seductoribus, ipsis toties exprobatum spectamus, potuit falli confessorum imbecillium, sinistri nihil suspicans integritas, per formam angelorum lucis & nuntiorum veritatis, quam induxere pseudoapostoli ad exemplum seducientis Hevam serpentis 2 Cor. XI, 13. 14. Creduli nimis in casses poterant trahi, hinc divino opus erat auxilio atque illuminatione, qua mentis facultates excitarentur, ut non solum attenti essent ad omnia dicta atque facta seductorum, sed & in arte investigandi adjuti, latentia atque ceteroquin non observata indica errorum, vitiorum atque fraudum detergerent. Hunc in finem characteres quosdam omnibus confessoribus pandunt Apostoli, in supra allegatis dictis, qui tanquam cautelæ spectari possunt. Spiritus autem

E 2

Sanctus

Sanctus animarum creator, etiam mentis facultates, quæ vestigia detegunt, ubi simulata species fraudes paraverat, extraordinaria operatione augere atque acuere potuit.

### §. IX.

Supersunt linguarum variarum donum, cum altero, illas interpretandi. PROP. VII. *Donum linguarum situm erat in ecstatica mentis atque instrumentorum linguae affectione, qua per hoc facientem Spiritus Sancti miraculosam operationem, sonos fundebant atque eloquiebantur in peregrinis linguis, quas nunquam addidicerant, atque res proponebant, exponendas circumstantibus ab interpretibus, divina ad id ope adjutis, quod donum Deus indulgebat in signum, Evangelium propagandum esse ad dissitas eisque linguis utentes gentes.* Videbitur primo intuitu, noster, quem de hoc dono formamus conceptus, valde insolitus esse. Verum excussis quæ Sacra de eo tradunt, doni apparebit utilitas atque convenientia cum statu primorum cœtuum, salem quorundam. Hunc in finem observo.

1) Diversitatem intercedere debuisse insignem, inter donum linguarum in prima Christianorum Pentecoste in Apostolos collatum, atque illud, quo postmodum membra cœtus gavisi sunt, quodque respectu ordinis atque utilitatis quam attulit Ecclesia, fuit postremum. Indicavi in antecedentibus differentiam inter dona, quæ Apostolis atque illa, quæ membris cœtus fuere concredita, respectu *ιαπάτων* §. IV. no. 1. item, *διναμεως* §. V. no. 3. atque item facile respectu *προφητειας*, ut & *διαχριτως πνευματων*, si necesse fuisset, præstare posuisse, quoniam procul dubio nervosius Apostoli in inculcanda doctrina, horatione atque consolatione, ac alii egere ministri, ute pote quorum tanta præ ipsis Prophetis altioris ordinis atque Evangelistis erat præcellentia, atque ad quos in dijudicatione Spirituum nemo accessit, ut confessim, sicut Petrus Ananie & Sapphiræ fraudes detegere potuerit. Exploratio enim *δοκιμασια* i Joh. IV, 1. cum ar-

*tem*

tentione multa, temporis requisivit spatium. Hinc & Apostoli, tot peregrinis loquendo linguis atque in illis magnalia Dei enarrando, ac renumerantur Act. II, 8 - 11. sonos fuderunt intellectos ab audientibus. Ostendam autem illico, id locum non habuisse in generibus linguarum, tanquam donum membris cœrus datis, quæ absque interprete non intellexit cœrus, quorum adeoque finis prorsus diversus fuit, ab illo quem Deus intendit obtinuitque, Apostolis hoc donum infundens,

2) Prolixa est qualitatum doni linguarum descriptio occurrens 1 Cor. XIV. in qua quidem natura illius cum affectionibus adeo plana est, ut nemo circa illam hæreat, hæret autem quilibet, si ad qualitates singularis adeo doni attendat, & finem ignoret. Erudimur per comma 2. *linguis loquentem, non loquitum esse hominibus, sed Deo.* Non hominibus loquutus est, quoniam illum audientes in coetu, sonos formatos non intellexere vs. 9. quod & præcedens similitudo, ab instrumentis musicis petita illustrat. Urgetur id vs. 11. cum maxime vs. 13. atque indicatur vs. 14. quod jam vs. 3. dictum fuerat nullum inde redundare fructum in cœrum, si scilicet linguae illæ ab interpretatione addenda, vel a loquente vel ab alio, destituerentur vs. 5. & 13. Loqui talem Deo Apostolus asserit, non solum quoniam eo incitante agebat, quod agebat, sed & quoniam orationes, sic a Spiritu agitatus operationesque tales sentiens fundere solebat, continentes tum precationes, ut propria aut aliorum indigentia suppleretur, vs. 14. tum gratiarum actiones vs. 16. 17.

3) In ecstaseos speciem raptum fuisse, hoc dono præditum dicam an correptum, inde evinco, quoniam sic loquens, facultate non semper pollebat, dicta in peregrinis linguis atque a cœtu non intellecta, in vulgarem transferendi. Exoranda illa erat precibus ad Deum fusis vs. 13. Preces autem non semper fuisse exauditas, atque donum interpretandi concessum, non loquenti, sed alteri, ordo injunctus vs. 27. 28. evincit. Cum quoque vs. 14. distingua-

tus

tur ~~πνεύμα~~ in quo orabat, atques ~~υστέρη~~ sive sensus, aut notio-  
nes in mente conjunctæ cum sonis quos fuderat, quas ta-  
men, perceptas licet, ipse sine peculiari beneficio Dei, pre-  
cibus imprestando, in lingua vulgari aliis reddere & expri-  
mere non valebat, sequitur mentis facultates singulare mo-  
do fuisse affectas, atque commercium inter illam ac corpus,  
in tali statu fuisse alteratum, adeo ut memoria reddere non  
potuerit, quæ affecta mens antea senserat, intellexerat, per-  
ceperat, & notionibus quæ conjunctæ fuerant cum vocibus  
peregrina linguae prolati, respondere noluerint voces vul-  
garis idiomatici qualis status ecclastæos, sive absentiae mentis  
a sensibus, est species. Accessisse singulares motus, apud il-  
los qui in Spiritu orabant, aut de mysteriis in mente cogi-  
tabant, sed ore neque ab ipsis, neque ab audientibus intel-  
lecta edicebant, conjicio, partim ex admiratione qua Corin-  
thii talia spectando, corripiebantur, & per quam hoc  
in ordine postremum donum, ex quo in ipsos nulla imme-  
diate redundabar utilitas, reliquis præferebant vſ. 12. par-  
tim ex eo, quod accidit dum Apostoli primitus eo exor-  
nabantur, atque adspectantibus videbantur esse ebrii, Act.  
II, 13. In paganis recenter tinctis, quibus infundebatur  
hoc donum, id se eadem habuisse ratione, stupor qui men-  
tem præsentium ex Judæis occupabat, vero reddit simile,  
Act. X, 44. 45.

4) Interpretatio dicitorum in peregrinis linguis, facile  
intelligitur ex oppositione hujus doni, adversus præcedens,  
atque ex eis quæ Paulus de hoc commemorat. Explicabat  
~~διερμηνευτής~~ proposta ab aliis in peregrinis linguis vſ. 27.  
atque sic certum fructu imbuebat, quo absque interpre-  
tatione caruisset, vſ. 5. Donum & hoc speciale erat, non  
omnibus, sed extraordinaria operatione, sicut ipsæ linguae  
concreditum, unde vſ. 28. dicitur, *si quis vero non sit Inter-  
pres, taceat in coetu, atque loquatur sibi atque Deo.* Pote-  
rat tamen ipse qui linguis loquutus fuerat, precibus impe-  
trare a Deo, ut dicta quoque exponeret vſ. 13. imo non  
solum

solum a se sed & ab aliis & quidem duobus dicta, explicaret vſ. 27. 28. Præterordinariam atque miraculosam operationem Spiritus creatoris hæc planissime arguunt. Ecstasis mentis, affectio organorum loquela ut sonos formarint, antea ignoratos, attamen notiones menti obversantes, cum sonis respondentibus aliquando combinare non potuerint, statum hominis præternaturalem, respectu commercii inter mentem atque corpus inferunt, in quo tamen facultates rationales animæ cum illarum uſu nihil fuerunt passæ detrimenti, obversantibus nempe illis notionibus rationalibus. Talis alteratio, uti de miraculo monet, sic quoque illud infert, status illius mutatio, dum alias, Deo preces exaudiente, prolata antea repetere, in vulgari idiomate exprimeret atque eo ceterum ædificare potuerunt, redditæ memoria, data facultas sonos, qui videbantur mente esse cassi animandi, restitutionem docet, per potentiam Spiritus Sancti itidem effectam. Diversitas inter utrumque donum tum linguarum, tum interpretationis illarum, influente in utrumque Spiritu, ex dictis sequitur, quod in eo constituit, loquentem linguis, expertum esse motus tum internos mentem a sensibus alienantem, tum externos in corpore, prodentes tales a Spiritu agitari, interpretem vero, quod negotium peractum itidem exigit, sedata mente sensibus atque corpore, recepsisse Spiritus operationes. Ex observatione allata, quod loquens bus linguis, ad illorum preces, facultas aliquando sit indira, prolata explicandi, rationem reddo, ob quam 1 Cor. XII. in ordine munerum vſ. 28. γένη γλωσσῶν solum indicentur, in ordine vero charismatum vſ. 11. distinguuntur γένη γλωσσῶν & ἐμπνευστικά γλωσσῶν, utpote quæ ſepiuſ fuere combinatae.

5) Supereft ut inquiramus in finem istius singularis adeo doni. Offerunt operationes in quibus mens alienatur, aliquid quod conceptu duriusculum videtur, cum maxime, quoniam cum reliquis haec tenus expensis charismatibus sic comparatum fuit, ut facultates naturales in eis non fuerint

turbatae, sicuti in ecstasi factum est. Finis conveniens hic, quicquid durum videtur, aufert. Indicat illum Paulus 1 Cor. XIV, 22. *Quapropter linguae sunt signum non credentibus, sed incredulis.* Signum notari indicium rei alterius aut futuræ, hic vero productum ope miraculi attentionem excitantis. In credentes, nulla ex linguis, nisi explicarentur, redundabat utilitas, & dum explicabantur, ~~equivoca~~ usum præstabat, non sonus in ære excitatus. Sed quid præstitere incredulis? Monuere quidem, si quis præsens erat alienigena, illa lingua utens, qui sonos intelligebat, operari Deum in cœtu, aptum reddendo hominem, ut lingua, cuius cæteroquin erat ignarus, ut atque in illa enarrare posset veritates Evangelii. Verum non videntur semper præsentes fuisse peregrini, per descriptionem a Paulo datam, qui aliquoties edicit, loquentem linquis prodeesse sibi non hominibus. Igitur incredulus ne quidem istos sonos intelligens, tamen fructum inde debuit percipere. Ille vero in notione vocis ~~onuerior~~, qua ad rem futuram respicit, querendus est, adeoque in confirmatione promissionum atque spei, fore ut Evangelium propagaretur ad orbis fines, atque gentes dissirras istis utentes linguis. Certe in Judæis signum hoc debuit excitare æmulationem, dum pagani & peregrinis utentes linguis vocabantur, ut allegatio vaticinii Et. XXVIII, 11. 12. facta 1 Cor. XIV, 21. docet. Ut vocatio paganorum Judæis, per præjudicia mentibus alte infixa exosa erat, sic & obstante videbantur repugnula istam promissionem impedientia, quæ carni videbantur multis modis insuperabilia, removenda mediis in istiusmodi miraculosis operationibus sitis. Qum vero miraculorum, Deum decens finis fuerit, præter confortationem fidei imbecillis, debellatio incredulitatis, pater hujus miraculi decentia. Frequentius id in cœtu Corinthiaco contigisse existimo, quam quidem alibi, arque eapropter ansam Apostolo de eo monendi subnatam existimo, ob frequentatam a peregrinis Corinthum commerciorum causa, quæ in ista urbe, magno emporio, atque duorum portuum opportunitate gaudente, isto florebant seculo.

§.

## §. X.

Claudam hanc tractationem, subjunctis quibusdam observationibus.

1.) Respondent recentis in ordine charismatum quinto atque sexto, nempe prophetiae ac discretione Spirituum, in ordine munorum quintum itidem atque sextum, *αριθμούς* sive opitulationes atque *κυβερνήσεις* sive gubernationes. Acutum nimis foret, quod a quibusdam tentatum est, cum priori conferre prophetiam & cum posteriore, discretionem Spirituum, ac si certo maneri, utrumque solum suisset concreditum. Quanquam enim personae fungentes prioribus muneribus, distincta observaverint officia, praeditique fuerint Charismate illis atque illorum muneri privis, ut Apostoli, Prophetae, Evangelistae, thaumaturgi & donis sanacionum instruti, sequentia tamen possidentes dona, ut §. VI. no. 1. indicavimus fundi fuere *διάκονοις*, munere subserviendi coetus aliquius perpetuis, non vero contingentibus atque rarius eventientibus necessitatibus, hinc *ἀπολύτες* & *κυβερνήσεις* ad *διάκονοις* classem referende sunt. Prior vox ex usu in N. T. proprie spectat sublevationem egenorum A&t. XX, 35. i Tim. VI, 2. posterior vero *ἀπόλυτοι λεγομένοι* curam impensam in cœtus directione indicat. Fiebat utrumque per Presbyteros arque Diaconos. Inter priores erant laborem impendentes εἰς λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ i Tim. VI, 17. ad illos spectabat *κυβερνήσεις*, ad reliquos qui curam gerebant exterorum cœtus *αριθμούς*. Prophetiae donum concredi potuit presbyteris doctrinam tractantibus, reliquis discrecio spirituum, quo subdoli ab illis arcerentur.

2.) Numerus charismatum si ἐνεργήματα δυναμέων sexto ponamus loco adscendit ad novenarium, in uno recensu usc. 6-11. in distinctione vero usc. 29. 30. ad septenarium, & numerus munorum ad octenarium usc. 28. Diversitas oritur inde,

F

inde, quod in quibusdam recensibus jungantur, inter quæ singularis intercessit affinitas, qualem inter linguarum species illarumque interpretationem suo loco vidimus. Interea rei in Apocalypsi cap. I, 4. III, 1. IV, 5. V, 6. septem Spiritus Dei, respectu ad dona Ecclesiæ proficia, memorantur. Apud Esiam vero cap. XI, 2. sextuplicia Spiritus dona enumerantur, inter quæ atque explanata haec tenus a nobis deprehenditur analogia. Recensetur enim de Spiritu requieuo in Messia, fonte donorum ab ipso in Ecclesiam redundantium, *Spiritus Sapientiae*, cui responderet *σοφία* in dono primo; *Spiritus intelligentiae*, cui in secundo responderet *γνῶσις*, succedit *Spiritus consilii & fortitudinis*, responderet *πίστις*; animus fortis atque masculus fortitudini five גָּרוּת anno idcirco עצה consilium referendum erit ad sanationes atque potentias? Biga postrema clarius perspicitur רוח יתע *Spiritus cognitionis* Prophetia imo discretioni Spirituum affinis est, atque *Spiritus timoris Jehovæ*, si per φόβον Θεοῦ, ex vocis significatu intelligamus statum animi Proselytorum ex paganis ad Deum conversorum Act. X, 2. 22. 35. XIII, 16. 26. 43 designabit donum linguarum, datum incredulis in signum, ut per illud converterentur ad Deum. Quanquam autem aliqua convenientia tali appareat modo, supersunt tamen respectu numeri, quorum rationem reddere non possumus.

## §. XI.

Vos vero Cives nostri, in quorum gratiam hæc scripsimus, quamlibet ad tanta Spiritus Sancti dona contendere nobis non licet, neque aspirare ad praestita per illa in commodum Ecclesiæ, neutriquam necesse est, ut ea propter opus nostrum dejecto agamus animo. Sanctificantia & salutifera Spiritus Sancti dona, nobis proponuntur larga mensura, in verbi divini promissionibus, quibus si ornati simus, quæque si ut decet impendamus, salus nostra ut tutta sic & certa erit. Excitamini per sacram synaxin & commemo-

memorationem perpetuum optimi Sospiratoris, quibus  
ut parta est salus, sic & Spiritus sanctificans, ad vitæ san-  
ctimoniam. Testabimini desideria atque vota vestra, irrita  
certe absque spiritu Sancti in vobis opere. Invocanti  
nemini Deus illum negat. Caleat vester Spiritus, caleat  
precatio, ut reportetis ingens illud præmium *Spiritus cum  
Spiritu vestro testantis, vos esse Dei Filios.*

## F I N I S.

### THESES DEFENDENTIS.

#### I.

*M*issæ principale opus fuit, ut compensationem æquivalen-  
tem dissensus per legis violationem orti, afferret.

#### II.

*O*peris hujus ambitus est ingens, quem tamen nemo recte  
inspicit, qui ambitum ingentem dissensus ex peccato in orbe  
ignorat.

#### III.

*C*ontulere ad illam compensationem illamque perfecere,  
quæcumque egit tanquam Mediator, Goel, Pontifex, victima,  
Dux salutis.

#### IV.

*A*cquisivit sibi per illam dominium in universum.

#### V.

*T*ypi, qui ad hæc seu ad alia spectant, non ex mera re-  
rum similitudine petendi sunt.

#### VI.

*H*inc, Josephum & Simsonem umbras Servatoris tan-  
quam typos gesisse, rejicimus, licet similitudines agnoscamus.

#### VII.

*In* statu integritatis Adamus neque a labore, neque a  
precibus fundendis liber fuit.

#### VIII.



## VIII.

*Mortem licet potuerit, non tamen debuit, oppeteve.*

## IX.

*Licet Christus, postulantibus Iudeis, à cruce descendisset, tamen in illum non credidissent.*

## X.

*Homo absque affectibus non felicior evaderet.*

## XI.

*Verba 2 Cor. V, 1. οὐκοδοκεῖ εἰς τὸν ἔχοντα non ad glorificatum corpus spectant.*

## XII.

*In Sacramentis non magis, quam in aliis veritatibus, quicquam admittere possumus aut debemus, quod rationi repugnat.*

## XIII.

*Frustra igitur ad infinitum Dei potentiam provocatur, quae in actu non potest deducere contradictoria.*

## XIV.

*Crede quod habeas & habes, fanaticorum systematis, loco rationis, fulcrum, cautelam suadet, ne crede quoniam credis, sed vide, quare credas.*



01 A 6554



vd18



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



*Disputatio Theologica*

de

# Donis Spiritus Sancti Extraordinariis

sigillatim in

Evangelistis & aliis Ministris N. T.

Jll. Lycei Cives ad pium S. Coenæ usum invitans

quam

Præside

*Restore Magnifico*

## NICOLAO NONNEN,

S. Thœol. D. Ejusd. ac Philos. Practicæ Prof. P. & Cœtus ad B. Vir.  
ginis Pastore Primario,

ad Diem Jovis 23 Novembris A. MDCCCLII.

defendet

## JUSTUS BRUMMER,

Bremenfis S. Th. C.

h. l. q. f.

---

B R E M Æ,

TYPIS VIDUÆ E. HERM. CHRIST. JANI, QVONDAM ILLVSTRIS  
GYMNASHI TYPOGRAPHI.